DE ISOCRATIS QVAE FERVNTVR EPISTVLIS QVAESTIONES SELECTAE

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE LIPSIENSI RITE IMPETRANDOS SCRIPSIT

CVRTIVS WOYTE
GLAVCHAVIENSIS



LIPSIAE
TYPIS ROBERTI NOSKE BORNENSIS
MCMVII

RETTVLERVNT AD ORDINIS PHILOLOGOS DE HAC DISSERTATIONE

LIPSIVS **R. HEINZE**

LIPSIAE D. XVI. M. MARTII MCMVII.

PROCANCELLARIO
DES COVDRES.

IVSTO HERMANNO LIPSIO

S

Praeter orationes in codicibus Isocrateis novem[1]) exstant epistulae. Quae utrum genuinae sint necne, adhuc non satis constat. Fuerunt enim, qui eas omnes ab Isocrate abiudicarent; fuerunt quoque, qui unam vel alteram genuinam esse contenderent. Accuratius autem de singulis agere, id quod ad hanc litem diiudicandam necessarium esse nuper Wilamowitzius[2]) quoque censuit, Vaterus[3]) coepit primam epistulam spuriam esse ostendere studens argumentis solis chronologicis. Deinde Blassius[4]) epistulam tertiam, quam suppositam esse Schaeferus[5]) suspicatus erat, defendit pauloque post de omnibus epistulis disseruit ita, ut eas Isocrati vindicaret.[6]) Post eum Hauptius[7]) epistulam primam contra Vaterum Isocratis esse demonstrare conatus est ac sextam quoque et octavam ab illo esse compositas statuit. Sextam autem epistulam ab Isocrate abiudicandam esse argumentis fulcire studuit Muenscherus.[8]) Deinde Wilamowitzius[9]) de omnibus praeter sextam epistulis breviter exposuit ita, ut primam, secundam, quintam, septimam, octavam Isocrateas esse censeret, cuius cum commentatione conferenda sunt, quae Blassius[10]) respondit et quae Wilamowitzius[11]) denuo de epistulis tertia, quarta, nona disseruit. De epistula quarta pauca exposuerunt Benselerus[12]) et Keilius,[13]) quorum uterque eam Isocratis esse negavit. Hic praeterea in adnotatione pag. 145 dissertationis se occasione data omnes epistulas falsas ac fictas esse demonstraturum esse promisit, sed

---

1) Ep. X non Isocratis, sed Theophylacti Simocattae esse inter omnes constat. cf. Blass., Is. oratt. II p. LVI.
2) Aristoteles u. Athen II, 391 ff.
3) quaestionum historicarum fasc. I de Is. qui fertur epistulis, p. 9/10.
4) Mus. Rhen. vol. XX (1865) p. 109.
5) Demosth. u. s. Zeit III², 5 Anm. 3.
6) Att. Beredsamkeit II², 293 ff., 326 ff.
7) De Is. epistulis I, VI, VIII. Diss. Lips. 1873.
8) Satura Viadrina p. 39 sqq.
9) l. l. II, p. 391 sqq.
10) Att. Ber. III, 2² 379/382.
11) Hermae vol. XXXIII p. 492/5.
12) de hiatu p. 57.
13) Analecta Isocratea p. 143 sqq.

promisso nondum satisfecit. Eandem sententiam protulit Susemihlus,[1] qui tamen argumentatione omissa nil professus est nisi hoc eum, qui epistulas illas accurate tractasset, de authentia earum dubitaturum esse. Nuperrime denique de omnibus his epistulis satis copiose disputatum est a viro docto Italo Demetrio de Gratia.[2] Cuius dissertatio apud nos minus nota videtur esse, neque id immerito, nam maximam partem ille haud bene munere functus est, id quod apparet vel e summa quaestionis, quae inest in ephemeride[3] Atene e Roma inscripta quodque Drerupius[4] quoque nuper monuit; abiudicavit autem ille ab Isocrate omnes epistulas superstites. Vides igitur, quomodo res sit comparata: in omnes epistulas praeter Gratiam inquisiverunt Blassius et Wilamowitzius ita tamen, ut e nulla fere alia re iudicium peterent nisi e rebus historicis. De sermone autem epistularum, non omnium, sed I, IV, VI, VIII exposuerunt Hauptius, Keilius, Muenscherus ll. ll.[5] Itaque operae pretium esse censemus de epistularum Isocratearum authentia quid iudicandum videatur, denuo accurate quaeri totamque quaestionem retractari. Neque vero de omnium epistularum fide et auctoritate nunc disseremus, sed de III, IV, IX, VI, quia de his certum iudicium ferre licebit. Reliquis quoque in epistulis inesse nonnulla, quibus fides earum infringatur, ex hac dissertatione apparebit. Quae tamen argumenta non adeo nobis persuaserunt, ut quaestionem de illis epistulis ad finem perducere ausi simus.

Atque hac in dissertatione argumenta inprimis e sermone petenda erunt; neque vero sequemur rationem Hauptii, qui dictionem, quae inest in epistulis I, VI, VIII, simillimam esse orationum dictioni ostendere et differentias excusare vel explicare studuit eo consilio, ut epistulas genuinas esse statueret, praesertim cum falsarius tam accurate genus dicendi eius auctoris, quem est imitaturus, exprimere possit, ut de fide scripti fere nil e similitudine dictionis efficiatur. Sed multo plus ponderis tribuendum esse censemus ei rationi, qua inprimis differentiae premuntur, quae inter dictionem in orationibus et in epistulis adhibitam intercedunt.

Priusquam vero ad singulas epistulas tractandas accedamus, pauca, quae ad omnium epistularum sermonem attinent, commemorare liceat.

---

[1]) Alexandrinische Litteraturgeschichte II, 586 Anm. 26.

[2]) De Isocratis quae feruntur epistulis; Catinae 1898.

[3]) vol. III, num. XVII, a. 1900.

[4]) Blätter für Bayr. Gymnasialschulwesen 1901: Die Vulgatüberlieferung der Isocratesbriefe.

[5]) Blassius quoque in Eloqu. Att. ad sermonem in sing. epist. adhibitum pauca adnotat.

Ac primum quidem de abundantia et ubertate sermonis epistularum quaedam observemus. Synonymorum redundantiae exempla accurate collegit Hoessius.[1]) Qui in pag. 43 et 53 confecit tabulas, e quibus usus synonymorum, qui est et in orationibus et in epistulis, elucet, ita tamen, ut numeri omnium synonymorum singularum orationum epistularumque comparentur cum omnium singulae orationis vel epistulae paginarum numeris. Magis autem e re nobis esse videtur indicare, quot synonymorum exempla in singulis paginis legantur. Hoc vero facile intelleges ex hac tabula:

oratio	n. syn.	n. pag.	in 1 p.	or.	n. syn.	n. pag.	in 1 p.	ep.	n. syn.	n. pag.	in 1 p.
18	17	$15^1/_2$	$^5/_6$	2	61	$12^1/_2$	$4^4/_5$	1	6	$2^1/_2$	$2^2/_5$
20	4	5	$^4/_5$	3	78	$15^1/_2$	5	6	17	4	$4^1/_4$
16	26	$12^1/_2$	$2^1/_{12}$	1	14	12	$1^1/_6$	9	25	5	5
17	26	15	$1^4/_5$	9	109	$19^1/_2$	$5^3/_5$	8	10	3	$3^1/_3$
21	11	$4^1/_2$	$2^1/_3$	6	84	$26^1/_2$	$3^1/_5$	7	33	3	11
19	39	$12^1/_2$	$3^1/_8$	8	148	37	4	2	15	$5^1/_2$	$2^2/_3$
13	18	6	3	7	76	$19^1/_2$	$3^7/_8$	5	14	1	14
11	28	12	$2^1/_3$	15	439	$76^1/_2$	$5^3/_4$	4	20	$3^1/_2$	$5^5/_7$
10	67	16	$4^1/_5$	5	150	37	4	3	8	2	4
4	107	45	$2^2/_5$	12	426	68	$6^1/_4$				
14	36	$14^1/_2$	$2^1/_2$								

Qua ex tabula apparet in orationibus Isocrateis nunquam plus $6^1/_4$ exempla in 1 pagina editionis Teubnerianae legi neque ea nisi in posterioribus orationibus. In singulis autem paginis earum orationum, quae eiusdem temporis sunt, cui epistulae adscribuntur, minimum $3^1/_5$ et summum $6^1/_4$ exempla inveniuntur. Quo ab usu abhorrent epistulae 7 et 5, quarum altera in singulis paginis 11, altera 14 exempla praebet. Praeterea, id quod Hoessius (l. l. p. 53/4) iam monuit, aequalior, ut ipsius verbis utar, ille synonymorum abundantiae progressus, qui in orationibus (addendum est: inprimis posterioribus inde ab oratione 6) patefit, nullo modo efficitur ex epistulis. Neque casu fieri videtur, ut oratio Demonicea, quam spuriam esse veri est simillimum, hac quoque in re a reliquis orationibus differat, etsi aliter atque illae duae epistulae.

Huic de synonymorum abundantia observationi liceat addere nonnulla, quae de usu infinitivi cum articulo coniuncti Isocrateo indagavimus.[2]) Perscrutati enim orationes hoc invenimus Isocratem nunquam infinitivos et articulo et negatione *μή* ornatos inter se

[1]) de ubertate et abundantia sermonis Isocratei, Frib. Bris. 1892.

[2]) Ea, quae de genere dicendi Isocrateo prolaturi sumus, fere omnia iam collegeramus, antequam Preussi index in lucem prodiit. Indicem componere ipsi coeperamus.

conexuisse particula *καὶ*, ut exemplum legitur ep. 6, 2: *τὸ μὴ δύνασθαι πλανᾶσθαι καὶ τὸ μὴ πρέπειν*, sed aut infinitivos positivos inter se aut cum positivis negativos coniunxisse velut 3, 14 *τὸ διωρίσθαι καὶ μὴ* . . . vel 8, 30 *ἐκ τοῦ . . . βοηθεῖν καὶ μὴ* . . . vel 7, 53 *ἐκ τοῦ . . οἰκεῖν . . . καὶ τοῦ μηδένα* . . aut alterum infinitivum addidisse particula *μηδὲ* adhibita velut 6, 55, 15, 123 aut usurpasse particulas *μήτε . . μήτε* velut 15, 262. Ille igitur usus, qui in epistula 6 invenitur, non est Isocrateus. Itaque non plane adstipulamur Birkleino[1]) dicenti: „In den Briefen läßt sich eine von dem Gebrauche in den als echt geltenden Reden abweichende Erscheinung nicht konstatieren."

Iam afferamus, quae de usu particularum *τὲ — καὶ* et *τὲ — τὲ*, quae et in orationibus et in epistulis occurrunt, dicenda sunt. Ac Fuhrus[2]) observavit apud Isocratem *τὲ καὶ* voculas ita coniunctas non legi nisi priore a vocali incipiente.[3]) Quo cum usu convenit ep. 8, 9 *ὑμῖν τε καὶ τοῖς ἄλλοις*, abhorrent ab eo duo loci: ep. 5, 2 *συμβάλλων τε καὶ κοινωνῶν* et ep. 5, 4 *τιμᾶν τε καὶ κολάζειν*. Praeterea ille vir doctissimus repperit (l. l. p. 347) in orationibus voculas *τὲ γὰρ* excipi[4]) particula *τὲ*, velut 4, 135 *οἵ τε γὰρ ἀφεστῶτες . . . . τῶν τε*; 4, 137; 6, 24; 7, 6/7; 31/32. 8, 105. 138; 14, 46/7; 15, 95/6. 170. Accedunt loci (1, 29. 32); 12, 157. 180. 242. Qui usus servatur epistularum locis his: 2, 18 *τούς τε γὰρ . . . τῶν τε*. 4, 11 *ἐκείνους τε γὰρ . . . τῶν τε*. 5, 2/3 *τῶν τε γὰρ . . . τῶν τε φιλοσοφιῶν οὐκ ἀποδοκιμάζειν*. Plane autem ab eo differunt hi loci epistularum: 4, 11 *τήν τε γὰρ ἀπειρίαν . . . καὶ τὴν λαμπρότητα*. 7, 13 *Αὐτοκράτορός τε γὰρ . . . . καὶ*. 9, 12 *εἴθισμαί τε γὰρ . . . καὶ δεξαίμην*, quibus locis non *τὲ*, sed *καὶ* particula sequitur.[5]) Neque haec differentia sola intercedit inter haec tria exempla et reliqua, quae in orationibus leguntur, id quod Fuhrum fugisse videtur. Orationum enim locis illa enuntiata, quae *τὲ γὰρ* et *τὲ* praebent, ita sunt composita, ut ab altera particula *τὲ* incipiat novum enuntiatum, quod a priore separatur interpunctionis signo vel maiore vel minore, et oppositio quaedam fere semper inter illa duo enuntiata videatur intercedere; quo cum usu congruunt epistularum loci

---

[1]) In eo libro, qui inscribitur Schanz, Beiträge zur histor. Syntax der griech. Sprache p. 63. — Omnes locos, quibus infinitivi cum art. coniuncti leguntur, exscribere longum est. Nonnullos collegit Wagner, de inf. ap. orat. Att. c. art. coniuncto; Progr. Gymn. Frideric. Schwerin 1885.

[2]) Mus. Rhen. vol. XXXIII p. 334.

[3]) Or. 19, 42 prius vocabulum est nomen proprium incipiens a cons.; praeterea semper legitur *καλοὺς τε κἀγαθούς*, ut 6, 35. 8, 133. Reliqui sunt 12 loci.

[4]) *δὲ* sequitur 3, 32/3. 15, 232.

[5]) ep. 7, 11 lectio non constat. Urbinatis lectio cum usu Isocrateo facit.

2,18. 4,11. 5,2. Aliter autem res est comparata in epp. 4,11. 7,13. 9,12. Demoniceae quoque duobus locis, quibus τὲ γὰρ — τὲ particulae occurrunt (1,29. 32/3), desideratur illud interpunctionis signum et oppositum.

Usus particularum τὲ — τὲ fere idem est in epistulis atque in orationibus. Unus autem locus, ep. 5,4, singularis est; occurrunt enim hic particulae τὲ — τὲ — δὲ — δὲ sese excipientes, quae coniunctio in orationibus non invenitur: δι' ἣν νῦν τε δοξάζειν περὶ τῶν μελλόντων ἐπιεικῶς, τοῖς τ' ἀρχομένοις . . . ., περὶ δὲ τῶν . . . . πρὸς δὲ τούτοις τιμᾶν τε καὶ κολάζειν . . .

His praemissis iam ad singulas epistulas tractandas transeamus. Ac primo quidem loco liceat nobis verba facere de

epistula III.

Huius de epistulae fide quid iudicandum sit, viri docti adhuc dissentiunt. Ut Wilamowitzius l. l. eam ab Isocrate abiudicavit, ita fere reliqui omnes, qui illam rem attigerunt, quorum e numero hos nominamus: Niebuhrum,[1]) Vaterum,[2]) Schaeferum l. l., Perrotium,[3]) Christium,[4]) Muenscherum l. l., Gratiam.[5]) Genuinam autem eam esse Blassius ll. ll., Wagnerus,[6]) Koeppius,[7]) Jebbius[8]) censent; Spengelus[9]) rem in medio reliquit.

Ut autem ratione ac via progrediamur, priusquam quaestionem quae est de fide epistulae diiudicemus, de tempore epistulae verba faciamus oportet. Post pugnam ad Chaeroneam commissam pacemque factam eam esse compositam fere omnes viri docti consentiunt. Contra Koeppius[10]) et Wagnerus soli,[11]) quantum invenimus, epistulam anno a. Chr. n. 346 ponunt. Qui illam pacem, quae in par. 1 (μετὰ τὴν εἰρήνην) commemoratur, intellegunt eam, qua bellum

---

[1]) Vorträge II, 366.
[2]) l. l. p. 31 sqq.
[3]) L'éloquence politique et judic. à Athènes I, 345.
[4]) Gesch. d. gr. Lit.[4] S. 395 Anm. 5.
[5]) l. l. p. 43 sqq.
[6]) Adnotationes crit. in Is. epistulas 1875 p. 9 sqq.
[7]) Annal. Boruss. vol. 70 p. 486.
[8]) The attic orat. II, 257 Anm. 1.
[9]) Acta Acad. Bavar. 1853 p. 736 adn. 2.
[10]) Argumenta K. non protulit; nil nisi haec habet p. 486 l. l.: „. . . der Brief könnte ebensogut und meiner Ansicht nach besser nach der Beendigung des phokischen Krieges geschrieben sein, also bald nach der Rede, auf die er sich bezieht."
[11]) Blassius, Mus. Rhen. vol. XX p. 110 adn. 3 dicit: „Den Kampf auf die Unterwerfung der Phokier zu beziehen, wie einige doch getan haben, usw." Sed hi „nonnulli" nobis non innotuerunt.

Phocicum confectum est. Huic autem interpretationi repugnant par. 2 et par. 6 epistulae. In par. enim 2 verba fiunt de certamine, quo omnes Graeci pacem servare coacti sint. Quae verba minime posse referri ad id bellum, quo Phocii subacti sunt, Blassius[1]) recte exposuit, quoniam, ut ipsius verbis utamur, „dabei (bei der Unterwerfung der Phokier) gar kein Kampf stattfand, abgesehen davon, daß dies Ereignis doch nicht im mindesten die anderen Griechen zur Ruhe zwang." Neque persuasit nobis Wagnerus, qui hoc Blassii argumentum eo impugnat, quod verba *διὰ γὰρ τὸν ἀγῶνα τὸν γεγενημένον* mirum in modum interpretatus explicat „illas pugnas intellegendas esse, quibus ante bellum a Philippo ad finem perductum conflictum erat". Fieri enim non potest, quin illis verbis *διὰ γὰρ τὸν ἀγῶνα τὸν γεγενημένον* singulari numero usurpatis addito participio cum articulo coniuncto unum certamen omnibus notum significetur. Istam autem interpretationem veri non similem esse ipse sensisse videtur, cum adderet melius sibi placere enuntiatum, si articulo non repetito participium praedicative esset positum, ut verba verti possent: „infolge der Beendigung des Kampfes." Quae cur non significent: „infolge des Entscheidungskampfes, der stattgefunden hat", non videmus.

Alterum argumentum, quo Blassius (l. l. p. 110) comprobare studuit epistulam anno 346 scriptam non esse, his continetur verbis: „es ist hier einfach unmöglich, an einen anderen Frieden zu denken als an den von 338, da Philipp überhaupt nur zweimal mit Athen Frieden schloß und der erste der im Briefe (§ 1 f.) als in ganz anderer Zeit und als Isokrates noch jünger war (§ 6) geschrieben erwähnten 5. Rede voraufgeht." Negat igitur orationem quintam et epistulam tertiam eodem anno compositas esse, summo iure nostra quidem sententia. Ex eis enim, quae auctor epistulae in par. 2 et 6 de tempore, quo orationem illam regi misit, dicit, apparet maius temporis spatium inter orationem et epistulam intercedere (cf. p. 2: *κατ' ἐκεῖνον μὲν γὰρ τὸν χρόνον . . . τότε μὲν οὖν ἄλλος ἦν καιρὸς . . . νῦν . . .*). Paragraphi autem sextae haec verba in censum veniunt: *χάριν δ' ἔχω τῷ γήρᾳ . . . ὥσθ' ἃ νέος ὢν διενοούμην καὶ γράφειν ἐπεχείρουν ἔν τε τῷ πανηγυρικῷ λόγῳ καὶ τῷ πρὸς σὲ πεμφθέντι* e. q. s. De sententia huius paragraphi Wagnerus falso iudicat, cum dicit: verba *νέος ὢν* neque in annum 346 neque in eum, quo Panathenaicus (scribendum est: Panegyricus) compositus est (annum 380 dico) quadrant. Nam anno 338 Isocrates, senex nonaginta octo annorum, dicere poterat se anno 380, i. e. duobus et quadraginta annis ante, iuvenem fuisse.

---

[1]) Mus. Rhen. vol. XX p. 110 adn. 3.

Quod autem attinet ad annum 346, fieri poterat, ut Isocrates, quem anno 338 aetate et morbo confectum fuisse constat, iuvenis fuisse sibi videretur eo tempore, quo orationem quintam Philippo misit. Ac fugerit fortasse memoriam Isocratis vel potius eius, qui illum epistulam tertiam conscribentem fecit, quot annis ante oratio quinta sit divulgata.

Quae cum ita sint, a sententia Koeppii et Wagneri[1]) secedamus epistulamque post pugnam ad Chaeroneam commissam pacemque factam compositam esse censeamus.

His praemissis nunc de fide epistulae tertiae quid iudicandum sit, videamus. Qua in re proficiscendum est a memoria, quae de Isocratis morte exstat. Omnes enim auctores, quorum antiquissimus est Dionysius Halicarnasseus,[2]) eum paucis diebus post pugnam voluntaria morte animam efflavisse testantur.[3]) Epistulam autem tertiam post pacem, quae non paucis diebus post Atheniensium cladem convenit, datam esse supra demonstravimus. Itaque aut epistula genuina putanda et memoria illa reicienda aut propter auctorum testimonia de epistulae fide est dubitandum. Nobis quidem vel a priori ut aiunt probabilius videtur esse biographorum consensui confidendum esse, quoniam ab anonymo illo auctore afferuntur antiquissimi testes, aequales Isocratis, Aphareus, illius privignus, et Demetrius, discipulus Aristotelis, inimici illius. Neque persuasit nobis Blassius,[4]) cum exponeret Aphareum fortasse consulto verum non dixisse, ut patrem amantissimum patriae fuisse demonstraret. Similiter enim eundem negasse patrem unquam iudicialem orationem conscripsisse. Qua in re niti poterat duobus locis orationum Isocratis (12, 11. 15, 37/8), quos tamen non ad verbum esse intellegendos apparet e testimoniis Aristotelis[5]) et Cephisodori.[6]) Praeterea iudiciales illae orationes primae Isocratis sunt, quarto a. Chr. n. saeculo ineunte scriptae, ut tum, cum Aphareus illud dixit, multis fortasse non iam notae fuerint. Epistula autem, si genuina erat, ut Aphareo aliisque multis ignota esset, fieri non poterat. Multo autem veri est similius epistulam fictam esse ab aliquo, qui quid Aphareus de Isocratis morte dixisset

---

[1]) Wagneri interpretatio par. 6: „ea, quae iuvenis animo mecum reputabam, quae oratione cum media aetate eram et altera oratione senex exprimebam, haec nunc spe e. q. s.“ fere tota ficta est.

[2]) qui qua fide sit, recte monet Wilam. in Herm. vol. XXX p. 495.

[3]) Testimonia auctorum leguntur apud Vaterum l. l. et Blassium in Mus. Rhen. vol. XX p. 110/111, ut ea iterum exscribere supervacaneum sit.

[4]) Mus. Rhen. vol. XX p. 113.

[5]) cf. Ciceronis Brut. 12, 48.

[6]) cf. Dionys. l. l. c. 18 p. 85/6.

ignorabat. Quod perfacile fieri potuit, quoniam tum, cum falsarius epistulam composuit, firma quaedam traditio de illius morte, cuius antiquissimus testis Dionysius videtur esse, nondum erat. Eam autem fictam esse nonnullis saeculis post Isocratis mortem, quibus temporibus memoria pugnae minime recens erat, vix est credibile. Itaque adstipulamur Wilamowitzio,[1]) qui dicit Dionysium, auctorem scriptorum sermonisque Isocratis peritissimum, illam epistulam aut non novisse aut, id quod nobis verisimilius videtur esse, ab illo abiudicasse. Ac rectissime idem vir doctissimus monuit Demetrio, si Aphareus mentitus esset, optimam occasionem datam esse Isocrati maledicendi mendaciique illius convincendi eo, quod quando animam efflaverit accurate indicavit.

Dissentimus igitur a Blassio, qui ita iudicat:[2]) „Die Überlieferung bietet in sich nicht Unglaubliches und Widersprechendes, und der Brief hat ganz den Anschein eines echten Werkes; eine Fälschung ist bei jener denkbar, bei diesem nur schwer.“ Quantopere contra epistula ab illius ingenio et arte differat, infra apparebit.

Ac spuriam eam esse intellegitur inde quoque, quod utrum Isocrates habuerit, cur tantopere victoria ab illo de civibus reportata gauderet, ut dicere posset, quae in par. 6 epistulae leguntur, necne, quaeritur. Qui cum summi erga cives amoris esset, quin tum, cum eos victos foedeque tractatos esse accepit,[3]) vehementissime commotus sit rerumque veritatem subito cognoverit, dubitari non potest. Illa enim ratione Philippum in cives consulere certe noluerat, quippe qui quasi occaecatus nil nisi pacem clementiamque ab illo exspectavisset. Eum benignitate et innocentia usum Graecos inter se conciliatos contra Persas ducturum esse confisus erat. Quam non re vera, quae volebat, perfici possent, non intellexerat, quia minime ipse usu rei publicae administrandae perdoctus erat. Sed eis quoque, quae cives moliri videbat, non leviter commotus est. Qui tantum aberat, ut omnes pacem facerent, ut supremum certamen pararent.[4])

Neque est silentio praetereundum illum senem morbo iam confectum fuisse, ut facillime adduci posset, ut mortem sibi ipse

---

[1]) Arist. u. Ath. II, 396.

[2]) Mus. Rhen. vol. XX p. 114.

[3]) cf. Lycurg. in Leocr. 39 sqq.; Schaefer, Dem. u. s. Z. III, 1 ff.

[4]) cf. Curtius, Gr. Gesch. III ^{6}, 701; Wilam., Ar. u. Athen II, 396; Blassius ipse concedit eiusmodi rerum exitum minime ex Isocratis sententia fuisse, cum dicit (Mus. Rh. 20, 115): „... wenn er auch ein so blutiges Ende der Feindseligkeiten als patriotischer Athener tief beklagte ...“ — cf. etiam Wil. in Herm. 33, 495 verba: „Dabei rechne ich die Schande noch gar nicht mit, die Isokrates zu tragen hat, wenn er den jähen Sturz seines Vaterlandes mit solchem Jubel begrüßt hat ...“ etqus.

conscisceret, praesertim cum cognovisset deceptum se esse ea spe, quam per totam vitam habere non desiisset.

Praeterea id quoque, quod Blassius putat ab Antipatro scriptum illud regi traditum esse, haud firmo nititur argumento, quia nil de consuetudine Isocratis illiusque compertum habemus, nisi forte eam fuisse inter illos efficiat aliquis ex epistula 4., quam tamen fictam esse infra demonstrabitur. Itaque concidit Blassii coniectura, qua ille statuit Isocratem inde ab anno 346, quo Philippo orationem 5. miserit, Macedonibus nobilissimis, inprimis Antipatro, familiariter usum esse, id quod epistula 4. confirmetur. Rectissime autem iam Dionysius rem explicasse nobis videtur, cum diceret illum animam efflavisse *ἀδήλου ἔτι ὄντος, πῶς χρήσεται τῇ τύχῃ Φίλιππος.*

Quae omnia cum nobiscum reputamus, facere non possumus, quin de fide epistulae 3. vehementer dubitemus. Hanc autem suspicionem veram esse eis quoque, quae iam prolaturi sumus, satis comprobatum iri speramus ac confidimus.

Ac primum quidem pauca de compositione epistulae disseremus.

Paragrapho 1 auctor dicit se in animo habere regi scribere, ut quid post pacem factam gerendum esse putet, ei aperiat; quod simili modo atque in oratione expositurum se esse. Quae igitur consilia in hac illi dedit Isocrates? Graecorum conciliandorum Persisque belli inferendi. Quid autem in epistula suadet? Nil nisi hoc: . . . *παρακελεύομαί σοι μὴ καταμελῆσαι τούτων, πρὶν ἂν τέλος ἐπιθῇς αὐτοῖς* (par. 4), pauloque post accuratius exponit: *ὅταν τοὺς μὲν βαρβάρους ἀναγκάσῃς εἱλωτεύειν τοῖς Ἕλλησιν . . . τὸν δὲ βασιλέα . . . ποιήσῃς τοῦτο πράττειν, ὅτι ἂν σὺ προστάττῃς.* Sed Philippum iterum, postquam consilium Persas bello persequendi aperuit (par. 3), admonere supervacaneum neque Isocrate dignum fuit, praesertim cum non esset dubitandum, quin rex bello suscepto non prius destiturus esset, quam barbaros sub potestatem suam redegisset. Neque veri est simile Isocratem, si modo victoria illius gavisus (par. 6) epistulam ad illum dedisset, eiusmodi exordium epistulae compositurum fuisse. Ea autem, quae in exitu epistulae inveniuntur, multo meliore loco essent, si in initio legerentur eisque Isocrates illi quasi gratularetur victoriam.

In par. 2 auctor dicit se in oratione regi missa ei suasisse, ut Athenienses, Lacedaemonios, Thebanos, Argivos conciliaret, et addit *ἡγούμενος ἂν τὰς προεστώσας πόλεις πείσῃς οὕτω φρονεῖν* . . . Quae verba referuntur ad or. 5,30: *φημὶ γὰρ χρῆναί σε . . . πειραθῆναι διαλλάξαι . . . ὥστ' ἂν τέτταρας μόνον πόλεις εὖ φρονεῖν πείσῃς . . . κτλ.* His in verbis premendum est illud *πείσῃς,* qua voce quo-

modo Is. pacem fieri voluerit demonstratur: non vi neque armis, sed persuadendo, qua de re conferas etiam or. 8, 21: *συμμάχους ἕξομεν ἅπαντας ἀνθρώπους, οὐ βεβιασμένους, ἀλλὰ πεπεισμένους.* Neque poterat ille scribere statim post pugnam, quae leguntur inde a verbis *ἠναγκασμένοι* usque ad verba *ἐξενεγκεῖν*, praesertim cum condicio civium eius plane alia esset; nam non Persarum, sed Philippi bellum parabant, ut supra[1]) vidimus.

His quae de argumento epistulae dicenda erant, priusquam addamus ea, quae de sermone prolaturi sumus, liceat afferre id, quod Muenscherus (l. l. p. 44) de arte, qua auctor in epistula componenda usus est, observavit. Repperit enim ille hac in epistula eam formam argumentandi, quae *ἐπιχείρημα* vocatur, deesse. Haec autem eo fit, quod propositionem sequitur ratio, rationis confirmatio, exornatio, complexio (cf. Auct. ad Her. II, 18, 28. 29). Quam formam argumentandi apud Isocratem frequentissimam esse observaverat Spengelus,[1]) ita tamen, ut eam prioribus in orationibus rarius, saepius autem inde a Panegyrico adhibitam esse statueret. Ex exemplis ab hoc l. l. allatis, velut 7, 3—8, 9—18, 20—27, 31/5, 37/8, 73/75; 6, 64—69; 8, 104/5, 106—113, apparet Blassium[3]) iure Muenschero haec opponere: „ich . . . nenne Epicheirem erst das, wo mittelst eines vorangestellten oder doch nach der Ankündigung stehenden allgemeinen Satzes bewiesen wird, oder, wenn nicht dies, doch aus mehreren, getrennt gehaltenen Sätzen . . . ein einheitlicher Schluß hervorgeht, und so hat auch Spengel . . . die Sache gefaßt.“

Itaque Muenscherus nimis acer fuisse videtur in investigandis exemplis illius argumentationis, velut in or. 6, 62—63[4]) et in ep.[5]) 1, 8, ep. 4, 1—4, 5—6, ep. 9, 15—17[6]) hanc inesse negamus. Hoc autem Muenschero concedendum est illam formam argumentandi in ep. 3 non occurrere; atque assentientes nos habet, cum dicit[7]): „Das Fehlen des Epicheirems beweist gegen Isokratischen Ursprung,“ praesertim cum id non solum sit argumentum, sed unum e multis.

---

[1]) pag. 12 dissert.

[2]) Acta Acad. Bav. 1853.

[3]) Att. Bereds. III, 2, 2, 380.

[4]) cf. Muensch. l. l. p. 42 adn. 8.

[5]) id quod Blassius l. paulo supra l. monet, cum dicit: M. dagegen nennt es E., wenn im 1. Briefe . . . § 8 nach d. Ankündigung *καὶ μὴν* e. q. s. in einem einzigen Satze die Begründung gegeben wird, daß früher zwar es nicht zeitgemäß gewesen wäre (ratio n. M.), gegenwärtig aber durchaus (r. c. n. M.).

[6]) Muensch. l. l. p. 44 adn. 2.

[7]) p. 44. In ep. 6 inde certum argumentum deduci posse negamus, quia Muensch. ipse concedit in par. 12/14 hanc formam argumentandi inveniri posse.

Quibus praemissis nunc ad argumenta ex sermone ipso petita transeamus. Quae quamquam interdum parva, nam in universum sermonis color est Isocrateus, tamen non sunt omittenda. Eum, qui hanc epistulam composuit, peritissimum fuisse sermonis Isocratis vel inde intellegi potest, quod adhuc fere nemo in elocutione auctoris haesit et Blassius, vir de oratoribus atticis optime meritus, de hac epistula est professus [1]: „Der kurze Brief ist frisch und gewandt geschrieben und macht dem Alter des Verfassers alle Ehre.“

In par. 1 singularis est usus vocabuli *γράφειν*: *ἠβουλήθην δὲ καὶ πρὸς σὲ γράψαι.* Loci, quibus *γρ.* verbum usurpatum invenitur, sunt hi: 1, 5; 5, 1, 10, 11, 12, 83, 85; 9, 75, 76; 10, 8, 14; 11, 47; 12, 172, 250; 13, 9; 15, 8, 81, 56; 18, 26. epp. 1, 2, 3; 3, 1, 6; 4, 1, 13; 5, 1; 6, 4; 7, 6, 10; 8, 2, 10. Orationum autem loco nullo legitur *γράφειν πρός τινα*, i. e. ad aliquem, sed ut hoc exprimat, Isocrates dicit aut *λόγον πέμπειν* ut 5, 17 aut utitur voce *ἐπιστέλλειν* ut 5, 81 (epp. 1, 5; 2, 12; 7, 12, 13; 6, 4). Eis locis, quibus *γρ. πρὸς* occurrit, cum *πρὸς* non persona, sed res coniungitur, ut 4, 188; 5, 25; 12, 271; 15, 12.[2]) Itaque in illis verbis *πρὸς σὲ γράψαι* inest aliquid non Isocrateum, neque silentio praeterire licet eundem usum voc. *γρ.* inveniri ep. 4, 1.

In par. 2 leguntur verba ... *καὶ τὰς ἄλλας ἐπακολουθήσειν* (sc. *πόλεις*). Quo loco *ἐ.* absolute adhibitum usurpatur, quod ab Isocratis sermone alienum esse dicimus. Verbum enim *ἐπακ.* semper cum dativo ab eo coniunctum est, ut 6, 34, 90; 7, 77; 11, 38; 15, 56, 121, 170. Sine dativo usurpata sunt *παρακ.* 6, 80, *συνα. μετά τινος* 4, 146, absolute 4, 185; 5, 74; 6, 20 *ἀκ.* 4, 35; 5, 48 (*μεθ' αὐτῶν*) 8, 44 (*μετ' ἐκείνων*) 14, 15 (*μετ' ἐκείνων*). Itaque, cum Isocrates sine dativo *ἀκ.*, *παρακ.*, *συνακ.* adhibuerit aut praepositionem *μετὰ* addiderit ad *ἀκ.* et *συνακ.*, hic usus, qui est in epistula, ab illius elocutione abhorret.

In eadem paragrapho singulare verbum est *ὑπονοεῖν*, quod apud Isocratem non legitur.

In par. 3 offendimus in verbis *ἐγνωκέναι περὶ τούτων* i. e. haec decrevisse. Isocrates enim nunquam duobus locis exceptis *γιγν. περί τινος* dicit nisi addito aliquo vocabulo, aut obiecto aut adverbio, velut 2,18 *ταὐτά*, 4, 139 *ὀρθῶς*, 5, 40 *οὐχ ὁμοίως*, 108 *ἰδίως*, 6, 2 *ἅ*, 4 *ὀρθῶς*, 5 *ἅ*, 8, 15 *ἅ*, 52 *ταὐτά*, 15, 6 *οὐκ ὀρθῶς*, 130 *κατὰ τρόπον*, 192 *ταῦτα*, 253 *τἀναντία*, 263 *οὕτως* . . . *ὀρθῶς*, 271 *ἁπλῶς*, 302 *ἐναντία*, 315 *οὕτως*, 12, 33 *ταῦτα*, 18, 35 *οὕτω*,

---

[1]) Att. Ber. II, 2, 328.

[2]) 20, 2 res est aliter comparata: *ἔξεστι τῷ βουλομένῳ τῶν πολιτῶν γραψαμένῳ πρὸς τοὺς θεσμοθέτας εἰςελθεῖν εἰς ὑμᾶς.* Hic enim medium verbi *γρ.* significat „anklagen“.

19, 51 *ταὐτά,* 20, 18 *ὀρθῶς,* 19 *τοιαῦτα.* Illis autem duobus locis (8, 50; 21, 4) *γιγν. περί τινος* significat non „beschließen“, ut in epistula, sed „erkennen, urteilen“.

In eadem par. verba *ἐπὶ τῶν αὐτῶν τούτων μένειν* aliquid non Isocrateum prae se ferunt. Vocabulum enim *μένειν* cum *ἐπί τινος* coniunctum apud Isocratem uno loco legitur: 10, 50 *οἱ δ' ᾑροῦντο μένοντες ἐπὶ τῆς ἀλλοτρίας καταγηράσκειν,* quo loco *μένειν ἐπὶ* c. g. propria vi locali est adhibitum. Sed, ut exprimeret perseverare in aliqua re, ille aliis dictionibus est usus: aut *μένειν ἐν* 7, 48. 8, 33. 102. 12, 42. 238 aut *μένειν ἐπὶ* c. dat. 6, 69. 7, 52. 8, 7 aut *διαμένειν ἐπὶ* c. dat. 11, 16. *ἐν* 4, 152. 8, 51. aut *ἐμμένειν* 12, 197. 250. (1, 13. 51.) aliisque locis (conf. indic. p. 69).

Haec habemus, quae proferamus de differentiis, quae intercedunt inter epistulae et orationum sermonem. Ut autem iam supra monuimus, is qui hanc epistulam composuit, orationum sermonisque Isocratis peritissimus fuit. Atque cum ipse se orationum quartae et quintae rationem habuisse affirmaverit, proximum est, ut totam epistulam cum ex aliis, tum ex illis orationibus contexuisse ducatur. Itaque ea, quibus epistula tertia cum orationibus, inprimis cum quarta et quinta, congruit, afferre nobis liceat.

ep. III.	orationes.
1. *περὶ τε τῶν τῇ πόλει καὶ τῶν σοὶ συμφερόντων.*	12, 2 *περὶ τῶν συμφερόντων τῇ τε πόλει καὶ τοῖς ἄλλοις Ἕλλησι.* 5, 24 *τῶν σοὶ συμφερόντων.* 5, 78 *περὶ τῶν σοὶ συμφερόντων.*
ἐξαρκούντως, ὡς ἐμαυτὸν ἔπειθον.	5, 22 *μετρίως, ὡς ἐμαυτὸν ἔπειθον.*
2. *δεῖ παυσαμένους τῆς μανίας καὶ τῆς πλεονεξίας, ἣν ἐποιοῦντο πρὸς ἀλλήλους.*	5, 88 *παύσῃ τῆς μανίας.* 5, 9 *τὰς πλεονεξίας, ἃς νῦν παρὰ τῶν Ἑλλήνων ἀξιοῦσιν αὑταῖς γίγνεσθαι, ταύτας εἰ παρὰ τῶν βαρβάρων ποιήσασθαι βουληθεῖεν.* 4, 17 *καὶ τὰς πλ., ἃς νῦν π. τ. Ἑ. ἐπιθ. αὑταῖς γ., ταύτας π. τ. β. ποιήσασθαι.*
εἰς τὴν Ἀσίαν τὸν πόλεμον ἐξενεγκεῖν.	5, 9 *εἰς τὴν Ἀσίαν τὸν πόλ. ἐξενεγκεῖν.*
3. *συνειρηκέναι ταῖς σαῖς ἐπιθυμίαις.*	5, 3 *συναγορεύοντες ταῖς ἐπιθυμίαις ὑμῶν.*
4. *παρεκάλουν ἐπὶ τὰς πράξεις ταύτας.*	5, 65 *τὴν πρᾶξιν, ἐφ' ἣν . . . παρακαλῶν.*

	5, 113 *παρακαλῶν ἐπὶ τοιαύτας πράξεις.*
ἔστι δὲ πρὸς μὲν ἄλλο τι τῶν ὄντων ἀπλήστως ἔχειν οὐ καλόν.	5, 135 *τοὺς δὲ πρὸς ἄλλο τι τῶν ὄντων ἀπλήστως διακειμένους ἀκρατεστέρους . . . δοκεῖν.*
5. *ἡγοῦ δὲ τόθ' ἕξειν ἀνυπέρβλητον αὐτὴν καὶ τῶν σοὶ πεπραγμένων ἀξίαν, ὅταν τοὺς μὲν βαρβάρους ἀναγκάσῃς εἱλωτεύειν.*	5, 79 *τότε νομίζειν καλὴν ἔχειν καὶ μεγάλην τὴν δόξαν καὶ πρέπουσαν καὶ σοὶ καὶ τοῖς προγόνοις καὶ τοῖς ὑφ' ὑμῶν πεπραγμένοις, ὅταν οὕτω διαθῇς τοὺς Ἕλληνας.*
ταῦτα δὲ κατεργάσασθαι πολὺ ῥᾷόν ἐστιν ἐκ τῶν παρόντων ἢ προελθεῖν ἐπὶ τὴν δύναμιν καὶ τὴν δόξαν, ἣν νῦν ἔχεις, ἐκ τῆς βασιλείας τῆς ἐξ ἀρχῆς ὑμῖν ὑπαρξάσης.	5, 115 *ῥᾷον γάρ ἐστιν ἐκ τῶν παρόντων κτήσασθαι τὴν καλλίστην ἥπερ ἐξ ὧν παρέλαβες ἐπὶ τὴν νῦν ὑπάρχουσαν προελθεῖν.* 4, 26 *τὰ ... ἐξ ἀρχῆς ὑπάρξαντα.*
6. *ἔν τε τῷ πανηγυρικῷ λόγῳ καὶ τῷ πρὸς σὲ πεμφθέντι.*	5, 9 *ἐν τῷ πανηγυρικῷ λόγῳ.* 5, 23 *πεμφθῆναί σοι τὸν λόγ. τοῦτον.*

Vides igitur, quam veri sit simile epistulam tertiam fluxisse maximam partem ex orationibus quarta et quinta Isocrateis. Sed iam haec epistula est mittenda. Disseremus autem nunc de

epistula IV.

Hac de epistula ad Antipatrum data Blassius, Keilius, Wilamowitzius, Gratia accuratius egerunt, quorum primus solus eam genuinam esse censet. Sed cum nondum omnia argumenta, quibus illa ab Isocrate abiudicanda est, prolata esse mihi videantur, quaestionem dignam esse existimo, quae iterum moveatur sermonis praecipue ratione habita.

Illa epistula Antipatro Diodotus quidam eiusque filius commendantur. Est igitur commendaticia, ut septima et octava. Quae tamen valde inter se differunt; nam, cum in his duabus de omnibus rebus accuratissime expositum sit, ut Wilamowitzius vel hac de causa neget eas spurias esse, quarta epistula magna obruta est obscuritae.

Ac primum quidem Diodotus ille, qui discipulus Isocratis putandus est,[1]) hac sola epistula nobis est notus. Neque iniuria

---

[1]) cf. ep. IV. 1, 2.

iam Gratia monuit fieri non potuisse, ut vir tot tantisque virtutibus praeditus nullum sui vestigium in aliis scriptoribus relinqueret (l. l. p. 46). Accedit, quod quem locum ille apud Asiae principes obtinuerit aut qua de causa ipsos ad Macedones ierit,[1]) id quod semper in animo habuerit (par. 8), certiores non fimus. Praeterea ea quoque, quae de filio eius commemorantur inde a par. 10, ita non cum eis, quae praecedunt, cohaerent, ut plane abesse possint.[2]) Neque intellegitur, cur Antipatro prospiciendum fuerit tantopere Diodoti filio quoque, de quo auctor nil habeat, quod laudabiliter proferat, praesertim cum ex eis, quae par. 11 exeunte de eo dicuntur, minime idoneus fuisse videatur, qui ad rem publicam Macedonum accederet (*τήν τε γάρ ἀπειρίαν τὴν αὐτοῦ . . .*).

Sed iam satis multa de epistula quarta in universum sunt exposita. Venimus nunc ad sermonem ipsum in ea adhibitum.[3]) Atque ita instituemus rem, ut primum de delectu et structura singulorum vocabulorum, deinde de tota componendi ratione verba faciamus. Eorum autem argumentorum, quae ex sermone in epistula adhibito ducuntur, primo loco ponemus ea, quae graviora esse nobis videntur.

Itaque ordiamur e vocabulis, quae par. 11 leguntur . . . *τὸ σωμάτιον οὐκ εὐκρινὲς ὄν, ἀλλ' ἔχον ἄττα σίνη.* Ex his Keilius profectus est in epistula ab Isocrate abiudicanda, quia *ἄττα σίνη* ab eius genere dicendi plane abhorreret. Neque invenitur vox *σίνος* aut apud Isocratem aut apud scriptores atticos eius aetatis; occurrit autem apud Herodotum, Aeschylum, Hippocratem, Aristotelem, posteriores; ionicum esse vocabulum videtur. Ut haec vox, ita ne pronomen *ἄττα* quidem ex usu Isocratis est. Quem non nisi *ἄττα* adhibuisse iis locis, quibus hiatus vitandus erat, Keilius coll. ll. 17, 51. 2, 38. 3, 47 docuit.

---

[1]) Diod. enim iam in Macedoniam profectum esse intellegi potest e par. 2. 8. 12, quamquam ne id quidem expresse dicitur.

[2]) cf. Gratiam l. l. p. 48.

[3]) Blassius nonnulla, quibus sermo ille ab Isocratis recedit, iam repperit, cum diceret (Att. Ber. II², 329): „Das mäßig lange Schreiben hat allein unter allen Briefen etwas von dem leichten und zwanglosen Charakter, der dieser Gattung eigentlich zukommt.“ Sed quod differentias eo explicare atque excusare studet, quod Isocrates non tam formam quam rem ipsam curaverit, quam perfici eius plurimum interesset, qua re ab usitata via dicendi quasi deferatur, assentiri ei non magis possumus quam Keilius, qui suo iure talia, qualia in epistula occurrunt, ita excusari posse negat. Permirum autem esse Isocratem in hac una epistula a suo genere dicendi recessisse Wilam. exposuit in Herm. vol. XXXIII p. 493, quo loco recte monet Blassium ipsum concedere (Att. Ber. II² 329) compositionem epistulae Isocrate dignam esse („So geht er bei sorgfältiger und stark rhythmischer Komposition e. q. s.).

In par. 8 leguntur verba . . . *πρὸς τὰς παρ̕ ὑμῶν ἐλπίδας ἀθυμότερος ἦν* . . . In usum Isocrateum substantivi *ἐλπὶς* inquirentes invenimus haec. Saepissime pendet ex eo infinitivus vel acc. c. inf. futuri, ut 2, 20. 15, 28. 168. 198. 322. 12, 10 (ep. 1, 3); 4, 141 infinitivus aoristi additur. Id, quod speratur, exprimitur aut genetivo, ut 16, 16. 4, 121. 8, 60. 15, 299. 5, 55, aut praepositione *περὶ* c. g. adhibita ut 4, 28. 8, 34. 6, 47. 63. Plane autem singularis est constructio, quae ep. 5, 5 legitur, quo loco de verbis *ἐλπίδας γὰρ* . . . *παρέχεις* pendet coniunctio *ὡς* c. indic. fut coniuncta.[1]) Ut significaret eas personas vel res, in quibus spes positae sunt, Is. dixit *τὰς ἐλπ. ἔχειν ἔν τινι,* ut 4, 121. 8, 60. 15, 299. 5, 55. Vides igitur, quam non Isocratea sit dictio . . . *τὰς παρ' ὑμῶν ἐλπίδας.* Neque in reliqua graecitate ullum exemplum huius usus repperimus. Digni autem sunt, qui afferantur, duo loci Thucydidei, quorum alter simillimus huius epistulae loci est: 1, 69,5 *ἐπεὶ αἵ γε ὑμέτεραι ἐλπίδες ἤδη τινάς που καὶ ἀπαρασκεύους δὶα τὸ πιστεῦσαι ἔφθειραν* (i. e. die auf euch gesetzten Hoffnungen); 3, 14, 1 *αἰσχυνθέντες οὖν τάς τε τῶν Ἑλλήνων ἐς ὑμᾶς ἐλπίδας* . . . — Adiectivum *ἄθυμος* autem, ut hoc statim addamus, ab Isocrate non est adhibitum; adverbium legitur 18, 60. 4, 44. 93. 116. 3, 58.

In par. 3 verbis *τὰ δὲ καὶ παρὰ τῶν ἄλλων τῶν ἐμπείρων αὐτοῦ πυνθανόμενον* cum *ἔμπειρος* adiectivo coniungitur genetivus personae, quem usum ab Isocratis genere dicendi abhorrere docent loci 4, 142. 8, 52. 15, 48. 184. 208. 12, 209. 229, quibus semper additur genetivus rei. *Ἄπειρος* quoque adiectivum semper ita usurpatur, ut 4, 106. 146. 150. 5, 124. 12, 130. Huius autem adiectivi eadem constructio atque in epistula legitur 1, 24: *μήτ' ἄπειρος εἶναι τῶν ἑταίρων θέλε.* In reliqua graecitate, quantum e lexicis intelleximus, fere semper illi adiectivo *ἔμπειρος* additur genetivus rei. Duos tantum invenimus locos, quibus genetivus personae sequitur: Herod. 9, 46: *ἡμεῖς δὲ Βοιωτῶν καὶ Θεσσαλῶν ἔμπειροί εἰμεν.* Dionys. *π. Ἰσαίου* c. 2 p. 94, 7/8 Rad. I: *καὶ εἰ μή τις ἔμπειρος πάνυ τῶν ἀνδρῶν* (Lysiae et Isaei) *εἴη.* In Xenophontis Anabasi legitur *ἐμπείρως ἔχειν τινός* i. e. personae, quocum usu conferendus est locus Isocratis, 2, 13: *ἀπείρως ἔχειν τῶν σοφιστῶν μηδενός.*

E verbis par. 9 *τῇ φιλανθρωπίᾳ τῇ σῇ στοχαζόμενος* epistulam falsam esse cognosci posse Muenscherus censet in tractanda ep. 6, 10 nullis tamen additis argumentis. Verbum *στ.* autem apud Isocratem semper cum genetivo coniunctum et vi aut appetendi aut cognoscendi aliquid usurpatum occurrit, ut 2, 6. (1, 50.) 8, 28

---

[1]) Eadem constructio invenitur Eurip. Troadum v. 487, Plato Lachet. p. 200 A. In Xenophontis Agesilao 2, 8 sequitur optativus futuri.

15, 43. 12, 30. 261. Quae vis epistulae loco non requiritur. Hic enim cum Herchero vertendus est: id coniciens ex tua humanitate. Illa autem constructio verbi *στ.* usitatissima est in graecitate; invenitur apud Xenophontem, Demosthenem qu. f., Platonem, Aristotelem, Polybium, Plutarchum, Diodorum Siculum, Dionysium Halicarnasseum, Philonem, Lucianum, Chrysostomum. Horum auctorum nonnullis locis verbum *στ.* significat conicere aliquid vel etwas wie ein Ziel zu erspähen suchen, erraten, ausforschen, ut apud Platonem in Leg. 1 p. 635 A: *τῆς τότε διανοίας τοῦ τιθέντος αὐτὰ νῦν ἐπιεικῶς μοι δοκεῖς ἐστοχάσθαι*; apud Plutarchum in Fabii c. 10: *οὐκ ὀρθῶς στοχαζόμενοι τοῦ ἀνδρός* i. e. non recte coniectantes de viro; apud alios. Sed omnibus his locis genetivo id, quod aliquis conicit, exprimitur, non id, ex quo coniecturam colligit. Hoc autem additur apud Polybium, tribus locis praepositione *ἐκ* et uno loco praepositione *διά* c. g. adiuncta: Polyb. 1, 14, 2: *ἑκόντας μὲν οὖν ἐψεῦσθαι τοὺς ἄνδρας οὐχ ὑπολαμβάνω στοχαζόμενος ἐκ τοῦ βίου καὶ τῆς αἱρέσεως αὐτῶν.* 1, 26, 9: *στοχαζόμενος ἔκ τε τοῦ τῶν ἀνδρῶν καὶ τοῦ τῶν νεῶν πλήθους.* 6, 3, 2 *τό τε γὰρ ἐξαγγεῖλαι τὰ γινωσκόμενα ῥᾴδιον, τό τε προειπεῖν ὑπὲρ τοῦ μέλλοντος στοχαζόμενον ἐκ τῶν ἤδη γεγονότων εὐμαρές.*

His gravioribus argumentis prolatis singulas paragraphos pertractabimus.

Incipit epistula a pronomine *ἐγώ*. Quod pronomen ita initio positum nusquam invenitur in orationibus genuinis neque in epistulis hac et tertia exceptis. Hac autem re quartam congruere cum tertia dignum est, quod notemus, praesertim cum iam supra (pag. 15) simillima de usu vocabuli *γράφειν πρός τινα* statuerimus.

Praeterea haerendum est in vocabulis *καίπερ (ἐπι)κινδύνου παρ' ἡμῖν ὄντος* ... Legitur enim in Urbinate *καίπερ κινδύνου ὄντος,* quod Bekkerus in textum recepit, cum vulgaris sit lectio *καίπερ ἐπικινδύνου ὄντος.* Quarum constructionum neutra est Isocratea. 14, 38 legitur *ὡς κίνδυνός ἐστι, μὴ μεταβάλωνται* ... 16, 47 *ὁ κίνδυνός ἐστιν,* quo tamen loco *κίνδυνος* fere idem valet ac causa vel iudicium. Adiectivum *ἐπικίνδυνος* occurrit 10, 32: *τοὺς ἐπικίνδυνον τὸν βίον τοῖς ἄλλοις καθιστάντας.*

Ad par. 2 haec sunt adnotanda:

συσταθῆναί σοι δι' ἡμῶν . . hoc solo loco invenitur genus passivum verbi *συνιστάναι.*

. . . *δι' ἑτέρων ἐντετύχηκέ σοι* . . . verbum *ἐντυγχάνειν* apud Isocratem absolute usurpatum saepius legitur, ut 4, 32. 5, 116. 7, 20. 83. 18, 36 ep. 7, 12 (sc. *αὐτῷ*) aut cum dativo rei coniunctum, ut 5, 120. 13, 15. 10, 69. 4, 45 ep. 6, 7. Uno loco, 4, 148, additur dativus personae: *ὡς τῶν πολεμίων πλείστοις ἐντύχοιεν.* Hic singu-

laris usus praeter epistulae locum invenitur 1, 20: *αὐτοῖς οἰκείως ἐντυγχάνειν.*

. . *τὴν γεγενημένην αὐτῷ πρὸς σὲ γνῶσιν* pro tui cognitionem foedissimam esse dictionem Gratia adnotavit, suo quidem iure, etsi causam non addidit. Neque enim usquam *γνῶσις* vox apud Isocratem exstat, praeterquam quod in Demonicea (1, 34) a duobus codicibus exhibetur, ita tamen, ut „sententia" significetur.

οἱ μέν τινες . . . οἱ δὲ . . . vocabula *οἱ μέν τινες* ita coniuncta non leguntur apud Isocratem (cf. indicis p. 91 s. v. *τὶς* 2 b).

πολλῶν καὶ παντοδαπῶν . . . ἀνδρῶν . . adiectivum *παντοδαπὸς* in orationibus nunquam ad personas refertur, ut apparet e 4, 70. 12, 246. 4, 45 aliisque locis.

. . . *περὶ τὸ διανοηθῆναι* . . nullo loco Isocrateo hoc verbum absolute usurpatum invenitur; uno loco, 15, 190, additur *πρὸς αὐτὸν*; plerisque locis coniungitur cum accusativo, ut 12, 11. 96. 187, alias aut cum adverbio *οὕτως*, ut 8, 8, aut cum infinitivo, ut 12, 51. 15, 220, aliis locis. Hic igitur usus, qui est in epistula 4, non est Isocrateus. Similis est usus, qui occurrit ep. 3, 3: *ἢ σοῦ διανοηθέντος συνεῖπον,* quo tamen loco facile auditur infinitivus qui praecedit: *ποιεῖσθαι τὴν στρατείαν.*

. . . *χρήσεις καὶ διαγωγάς . . . διαγωγάς* vocem hoc uno loco scriptorum Isocrateorum legi Keilius recte observavit.

In par. 3 verbis *εἰ μὴ τὴν ἀκριβεστάτην πεῖραν αὐτός τ' εἶχον αὐτοῦ* e. q. s. vocem *πεῖραν* iniuste habere articulum non concedimus Gratiae.[1]) Etsi aliis locis ut 6, 4. 11, 27. 12, 236 articulus deest, tamen hoc loco res aliter est comparata superlativo *ἀ.* addito. Sed tota dictio *πεῖραν ἔχειν* ab Isocrate aliena est; ille enim semper dixisse videtur *πεῖραν λαμβάνειν* collatis locis 6, 4. 11, 27. 12, 236. Uno loco (3, 45) occurrit *π. δεδόναι*: . . *φανήσομαι πεῖραν τῆς ἐμαυτοῦ φύσεως δεδωκώς.*

. De par. 4 haec sunt dicenda:

. . . . *εἰ μὴ λίαν εἴη φθονερός . . . .* adiectivum *φθονερὸς* frustra apud Isocratem quaeras. In illus orationum corpore traditur uno loco, 15, 302, adverbium *φθονερῶς* cum *ἔχειν* coniunctum.

. . . *εἶναι καὶ χρημάτων ἐγκρατέστατον*: Isocratem adiectivo *ἐγκρ.* nullo loco ita ut hoc usum esse docent comparati loci 6, 45.

---

[1]) In par. 3 dictione *ὥστε τελειότατος εἶναι* iniuria haesit Gratia. Simillimus autem est or. 12, 32: *τοὺς δὲ μὴ μόνον πρὸς ἓν τούτων ἀλλὰ καὶ πρὸς ἅπαντα ταῦτα τὴν ἕξιν τῆς ψυχῆς εὐάρμοστον ἔχοντας τούτους φημὶ καὶ φρονίμους εἶναι καὶ τελείους ἄνδρας καὶ πάσας ἔχειν τὰς ἀρετάς.* Quo cum loco, qui illum fugit, cum comparaveris epistulae verba *οὗτος δ' οὕτως εὐάρμοστον τὴν φύσιν ἔσχηκεν ὥστ' ἐν ἅπασι τοῖς εἰρημένοις τελειότατος εἶναι*, facile nobis concedes illum locum auctori epistulae ante oculos versatum esse. Ac memoratu dignum est id, quod *ἔσχηκε* forma in orationibus non legitur.

3, 39. 5, 21. 90. 100. Quibus locis in voce ἑ. alia vis atque in epistula inest, ubi vis parcendi, coercendi requiritur. Neque apud Lysiam, Thucydidem, Demosthenem haec vis reperitur, sed saepius apud Xenophontem, cuius cum sermone congruentia dictionis epistularum saepius potest observari.

. . . ἔτι δὲ συνημερεῦσαι . . vocabulum συνημ. apud Isocratem non occurrere Keilius recte monuit. Ille dicit aut ἡμερεύειν 15, 241 (v. l. διημ.) 286 aut διημερεύειν 7, 48. Συνημ. invenitur apud Xenophontem, Platonem, Aristotelem.

. . . . ἥδιστον καὶ λιγυρώτατον verba non esse e consuetudine generis dicendi Isocratei Blassius[1]) ipse adnotat, cum dicit: „So geht er im Ausdruck über die engen Grenzen, die er sich sonst steckt, bedeutend hinaus." Ut hanc quaestionem accuratius absolvamus, adiectivo ἡδὺς Isocrates nusquam de personis usus est. Conferas velim: 10, 35. 4, 28. 41. 2, 42. 5, 27. 12, 130 (ep. 8, 9). Semel, 1, 20, legitur: ἡδέως μὲν ἔχε πρὸς ἅπαντας. In reliqua graecitate adiectivum ἡδὺς de personis dicitur apud Sophoclem, Demosthenem, Platonem, Plutarchum, Strabonem, Lucianum. In Platonis autem dialogis alia eius vis est atque epistulae loco: per irrisionem enim hominem simplicem vel stolidum significat velut Gorgiae 46 p. 491 *E* ὡς ἡδὺς εἶ· τοὺς ἠλιθίους λέγεις τοὺς σώφρονας, Rep. 1, 11 p. 337 D ἡδὺς γὰρ εἶ, aliis locis.[2])

Adiectivum autem λιγυρὸς, quod proprio sensu stridulus, argutus, saepe quoque canorus, vocalis est, in orationibus Isocratis non legitur. Usitatum autem est apud Homerum, Hesiodum, Pindarum, Sophoclem, Euripidem, Moschum, Manethonem, Dionysium Per. Stephanus s. h. v. adnotat: „utuntur hac voce prosae etiam scriptores quamvis ποιητικωτέρᾳ, ut Plato, Aristoteles, Plutarchus, Dionysius Hal., Lucianus." Praeter hos adhibuerunt adiectivum λ. Philo et Aristides teste Schmidio.[3]) Apud Diogenem Laert. occurrit λιγυρὸς ποιητὴς et apud Manethonem εὔμουσος, λιγυρὸς ἀνήρ. Quibus omnibus locis adiectivum λ. alia vi usurpatur atque in epistula, in qua fere idem valet ac suavis, iucundus. Poeticam esse vocem, id quod docuit Keilius l. l. p. 144, censere vetamur loco Xenophontis qui fertur Cynegetici, quo de canum caudis dicitur (4, 1 οὐρὰς μακρὰς, ὀρθὰς, λιγυράς). Sed quod Blassius[4]) ad hunc locum

---

[1]) Att. Ber. 2^2, 329 Anm. 7.

[2]) Apud Demosthenem quoque res aliter est comparata atque in epistula, quia hic infinitivi ab adiectivo ἡδὺς pendent, ibi autem illud adiectivum absolute ut aiunt usurpatur: κατ' Ἀριστοκράτους 64: βούλομαι δ' εἰπεῖν διὰ βραχέων, ἃ . . . ἡδίους ἔσεσθε ἀκούσαντες.

[3]) Atticimus I, 294.

[4]) Att. Ber. 2, 2, 329 Anm. 9.

adnotat: ... „λιγυρὸς, welches in diesem Sinne (angenehm, hübsch) gar nicht poetisch, sondern idiotisch ist“ ..., non est in aperto, utrum λ. hoc loco significet „angenehm, hübsch“ an tale quid „durch Hin- und Herbewegen raschelnd“. Neque vero, cum adiectivum λ. apud Platonem et Aristotelem inveniatur neque alienum sit a sermone attico, cum Wilamowitzio faciemus, qui ita argumentatur[1]): „Idiotisch ist es, .. also paßt es für Jägergriechisch, nicht für Isokrates.“ Hoc igitur monemus oratores non adhibuisse hoc adiectivum atque eum usum, qui in epistula occurrit, singularem esse in graecitate.

.... *πλείστην ἔχειν παρρησίαν* .. In Isocratis orationibus dictio *π. ἔχειν* non invenitur. Is aut *παρρησιάζεσθαι* ut (1, 34), 6, 72. 12, 218. 15, 10 aut *π. χρησάμενον εἰπεῖν* ut 9, 39. 16, 22 aut *μετὰ π. ποιεῖσθαι τοὺς λόγους* ut 5, 72 dicit.

Paragraphi 5 dictionem *οἱ μὲν ἀξιόχρεων τὸν ὄγκον τὸν τῆς ψυχῆς ἔχοντες* ab Isocrate alienam esse Blassius monuit.[2])

Paragraphi 6 verbum *ἐφέλκεσθαι* in Isocratis scriptis non esse Keilius l. l. recte exposuit.

.... *παρὰ πᾶσι τοῖς μονάρχοις* .... *μόναρχος* vox Isocratea non est, cum saepissime *μοναρχία* substantivum legatur.

In vocabulis *τῶν ἅπαντα μὲν πρὸς χάριν, μηδὲν δὲ χάριτος ἄξιον λεγόντων* recte haesit Keilius, cum illa verba frigere et in illo lusu aliquid parum Isocrateum inesse coll. 4, 119 diceret. Neque enim casu fieri potest, ut tribus locis 4, 119. 8, 101. 5, 61 eodem vocabulo *ἀρχή*, quod et imperium et initium significat, efficiatur haec figura, quae dilogia dicitur. Hunc lusum verborum, quem non multum leporis et gravitatis praebere Hennus[3]) iure monuit, perraram esse in Isocratis orationibus iam Blassius docuit.[4])

In par. 7 verbis *καὶ μεῖζον ἴσχυσαν αἱ τῶν τυχόντων ἀνθρώπων κολακεῖαι* duae res insunt, quae offendant. Dictio enim *μεῖζον ἰσχύειν* hoc solo loco exstat; 7, 61 legitur: *ἴδοιμεν ἂν παρ᾽ αὐτοῖς τὰς ἰσότητας καὶ τὰς ὁμοιότητας μᾶλλον ἢ παρὰ τοῖς ἄλλοις ἰσχυούσας.* Praeterea *κολακεία* vox apud Isocratem nullo loco traditur.

De par. 8 haec sunt dicenda:

... *προσιέναι διανοούμενος ὀκνηρῶς εἶχεν* ... adiectivum *ὀκνηρὸς* apud Isocratem non occurrit; substantivum *ὄκνος* legitur 1, 7.

... *τοὺς ὑπὲρ αὐτὸν ὄντας* ... haec dictio *εἶναι ὑπέρ τινα* in

---

[1]) Hermae vol. 33 p. 493.

[2]) Att. Ber. II² 329 Anm. 7.

[3]) Henn, De Is. rhetore. 1861 p. 41; fugerunt eum 8, 101. 5, 61.

[4]) Eloqu. Att. II² 178. In 12, 22 Blassius l. l. et in 9, 36. 41/2 ep. 6, 3 Schneiderus (ad 4, 119) eundem lusum, qui ep. 4, 6 occurrit, inesse iniuria adnotant, id quod e locis inter sese comparatis apparet.

orationibus illius non reperitur, sed similes, ut 15, 138 occurrit dictio *τοῖς ὑπὲρ αὐτοὺς πεφυκόσι* et 4, 11 *τῶν λόγων τοῖς ὑπὲρ τοὺς ἰδιώτας ἔχουσι.*

. . . *ὡς ἐμοὶ δοκεῖ* . . . haec quoque constructio ab Isocratis sermone aliena est. Idem valet de substantivo *χειμὼν* et de dictionibus *εἰςβαίνειν εἰς θάλατταν* et *καλῶς ποιεῖν.* 18, 68 legitur . . . *ἐφ' ἡμῖν δὲ τοῖς εὖ πεποιηκόσιν* . . .

In par. 9 haec insunt, quae offendunt:

. . . *λογίζομαι γὰρ αὐτῷ συνοίσειν* . . . Verbum *λογίζεσθαι* in orationibus Isocratis aut absolute adhibetur ut 2, 38, alias aut cum *περί τινος* ut 2, 46 aut cum accusativo coniunctum ut 8, 60 aliisque locis, aut sequitur *ὅτι* ut 15, 23 aut enuntiatum interrogativum ut 15, 169 (ep. 6, 9). Haec igitur constructio, quae in epistula exstat, non est Isocratis.

. . . *ἥδιστόν ἐστι καὶ λυσιτελέστατον* . . . *κτᾶσθαι* . . . hae dictiones *ἥ.* et *λ. ἐστι* sequente infinitivo non Isocrateae sunt. Adiectivum *λυσιτελὴς* occurrit 12, 86: *τὸ λυσιτελὲς ἐάσας* . . .

In par. 10 haec insunt, in quibus haereamus:

συνέπειθον δὲ καὶ τὸν υἱὸν αὐτοῦ . . . *ἀντέχεσθαι* . . . verbum *συμπείθειν* nullo loco cum infinitivo coniungitur. 15, 189 additur obiectum: *συμπείθειν τοὺς ἀκούοντας.* 5, 26 absolute adhibetur . . . *καὶ μηδὲν ᾖ τὸ συναγωνιζόμενον καὶ συμπεῖθον.*

Dictio *ἀντέχεσθαι τῶν* . . . *πραγμάτων* nullo loco orationum legitur. *Ἀντέχεσθαί τινος* praeter 8, 12: *διὰ μὲν τοὺς παραινοῦντας ἀντέχεσθαι τῆς εἰρήνης* non exstat. Idem valet de vocabulo *εἰς τοὔμπροσθεν.* Totam dictionem *εἰς τ. πειραθῆναι προελθεῖν* ab Isocratis genere dicendi differre monuit Blassius l. l. p. 329.

Par. 11: . . . *τήν τε γὰρ ἀπειρίαν τὴν αὐτοῦ καταπεπλῆχθαι* . . . verbum *καταπλήττεσθαι* alias apud Isocratem non legitur.

In par. 12 offendimus in verbis *ἄν τε περὶ ὑμᾶς ἄν θ' ἡσυχίαν ἔχων διατρίβῃ.* Coniunctiones enim *ἄν τε* — *ἄν τε* ita inter se coniunctae apud Isocratem non leguntur.

Ad par. 13 haec sunt adnotanda. Voces *περιεργότερον* et *πρεσβυτικώτερον* in orationibus Isocratis non exstant. Adiectivum *περ.*, in positivo gradu, saepius apud eum occurrit.

Adiectivum *πρεσβ.* usurpatum invenitur apud Aristophanem, Platonem, Aristotelem, Plutarchum.

σπουδάζων ὑπὲρ ἀνδρῶν e. q. s. Haec constructio verbi *σπ.* non est ex usu Isocrateo. In orationibus enim *σπ. ὑπὲρ* semper cum gen. rei coniungitur, ut 6, 25. 91. 8, 13. 15, 280. 16, 3. 20, 2. 5, 127. Si de personis agitur, Isocrates dicit aut *σπ. περί τινος*, ut 10, 29. (12, 22), aut *σπ. περί τινα*, ut 10, 16.

Praeterea hoc loco afferenda sunt, quae supra (p. 8/9) de usu particularum *τὲ γὰρ — τὲ* et *τὲ — τὲ* statuimus.

Ut autem transeamus ad ea argumenta, quae e ratione, qua auctor in componenda epistula usus est, petuntur, synonyma *φίλων καὶ προςφιλεστάτων*, quae par. 13 leguntur, non esse ex consuetudine sermonis Isocratei Blassius exposuit, cum dixit (l. l. II² 138): „Rein müßige Anhäufungen wie *φ. κ. πρ.*, *καταλελειμμένον καὶ λοιπὸν ὄν* (ep. V, 1) gehören den Briefen an" e. q. s. Keilius (l. l. p. 72 adn. 1) similem locum ex Euripidis Hecuba attulit. Cuius fabulae v. 982 ita legitur: *φίλη μὲν εἶ σύ, προςφιλὲς δέ μοι τόδε | στράτευμ' Ἀχαιῶν.*

Iam nimirum studium comparandi ab Isocrate alienum, quod e par. 8. 10. 11. 12 apparet quodque a Blassio et Keilio iam notatum est, hic commemoretur oportet. Illarum autem similitudinum ea, quae par. 8 legitur, apud Isocratem non exstat; ad comparationem, quae inest in p. 11, illius orationum exempla afferenda sunt 9, 79. 10, 10. 15, 301. Similitudines autem permultas et egregias esse apud Isocratem, nulla tamen in oratione ita coacervatas ut in Demonicea Gehlertius[1]) docuit. Itaque hac quoque re epistulae auctoris sermo prope accedit ad dubiae orationis et ab Isocrateo differt.

Par. 7 compositionem ab Isocratis arte alienissimam esse Keilius recte observavit, cum diceret: „omnis componendi artis expers esse videtur, qui ad enuntiatum *ὃ καὶ — ἐλπίδων* adglutinavit verba *καὶ μεῖζον ἴσχυσαν* quique hoc ita inepte fecit, ut vix abs te impetres, ne *μεῖζον γάρ* scribas."

Offendimus denique in excusatione, quae in par. 13 ita legitur: *μὴ θαυμάσῃς, μήτ' εἰ μακροτέραν γέγραφα τὴν ἐπιστολὴν μήτ' εἴ τι περιεργότερον καὶ πρεσβυτικώτερον εἰρήκαμεν ἐν αὐτῇ.* Hanc Isocrate indignam esse suo iure Wilamowitzius dicit, cum explicet (Arist. et Ath. II, 394): „Das würde Isokrates nur getan haben, wenn er sicher war, daß keine Anstöße darin wären." Qui quomodo se excusaverit, intellegere licet ex 4, 14. 15, 9.[2])

Sed iam finem faciamus huius epistulae tractandae. Ex omnibus autem, quae prolata sunt, eam ab Isocrate scriptam non esse satis apparere censemus.

Disseramus autem nunc de

epistula IX.

Quae cum prima et sexta epistulis singularem locum obtinet;

---

[1]) De elocutione Isocratea, Diss. Lips. 1874, p. 35.

[2]) Eae quoque excusationes, quae ep. 7, 12. ep. 8, 10 leguntur, differunt ab ep. 4, 13, quoniam ibi auctor de nimia amplitudine epistulae nimioque studio se purgat.

neque enim quicquam nisi prooemia hae tres epistulae praebent. Quarum prima data est ad Dionysium maiorem Syracusanum, sexta ad Iasonis filios, nona ad Archidamum, Lacedaemoniorum regem. Has genuinas esse Blassius ostendere studuit cum aliis rebus tum testimonio quodam, quod inesse putabat in par. 13 ep. 30 Socraticae, quae Speusippo tribuitur. Ibi autem haec leguntur:

ἀπέσταλκε δέ σοι λόγον, ὃν τὸ μὲν πρῶτον ἔγραφεν (cod. Par. *-ψεν*) *Ἀγησιλάῳ, μικρὰ δὲ διασκευάσας ὕστερον ἐπώλει* (Par. *δὲ πάλιν*) *τῷ Σικελίας τυράννῳ Διονυσίῳ, τὸ δὲ τρίτον τὰ μὲν ἀφελὼν, τὰ δὲ προσθεὶς ἐμνήστευσεν Ἀλεξάνδρῳ τῷ Θετταλῷ, τὸ δὲ τελευταῖον νῦν πρὸς σὲ γλίσχρως αὐτὸν ἐπηκόντισεν.*

Quo testimonio Blassius ut illas epistulas significari demonstret, pro Agesilao filium, Archidamum, et pro Alexandro eos, qui illi interfecto successerunt, ponere cogitur. Hac autem in coniectura facere non possumus, quin illi adversemur.[1]) Quae quam non probabilis esset, Blassius ipse sensisse videtur, quia addidit verba: „wenn nicht eine verlorene Zuschrift an Jason selbst gemeint ist." Ac primum quidem agitur illa paragrapho non de epistulis, sed de orationibus. Neque tollitur haec difficultas, si cum Blassio[2]) explicamus eas orationes ipsas re vera missas esse, neque vero totas iuris publici factas illasque tres epistulas esse exordia earum. Quod Isocratem fecisse, quia, ut ipsius verbis utar, „die Ermahnungen schon größtenteils im Panegyrikus standen, Isokrates aber seine Scheu, sich vor allem Publikum in großem Maßstabe zu wiederholen, nicht so leicht überwand."

Sextum autem et primum exordia esse epistulas certe colligitur ex eis ipsis: I, 1. 2. VI, 4; de prooemio IX. nil certi dici potest nisi in eo nihil de epistula exponi. Neque possumus inde cum Blassio efficere prooemia quaedam sola divulgata esse, quippe quae prorsus nova essent; nam, etsi exordia ita composita speciem quandam novitatis prae se ferebant, tamen ea omnia ab eo edita esse mirum esset eadem de causa, qua nisus Blassius orationes totas iuris publici esse factas negat. Nam ex illis inter se comparatis[3]) haec facillime perspici possunt: 1. et 9. epistularum prooemia tripertita sunt, cum 6. hac re paulo differat. Praeterea singulae partes inter se similes sunt, in primis 1 et 9 exordiorum. Ut 1. epistulae initio exponitur, cur auctor non ipse venerit, sed epistulam composuerit, deinde ille se non artis specimen praebere in animo habere, sed consilium totius Graeciae servandae explicat, tertio

---

[1]) Susemihlus l. l. eam comprobavit, cum diceret: „Die Auffassung von Blaß ist zwar durchaus nicht unbedenklich, aber doch wohl richtig."

[2]) Att. Ber. II², 294.

[3]) cf. quae Blassius adnotavit ad sing. epist. l. l.

loco, quam idoneus ipse sit, qui suadeat commemorat, ita in 9. similia inveniuntur: primum non laudationem (pro qua in illa artis specimen dictum est), sed consilium datum iri, deinde, quam necessarium sit concordia facta bellum Persarum suscipere, tertium quam bene auctor consilia dare possit, demonstratur. Similiter 6. quoque epistula composita est. Cuius cum initio conferas ep. I, 1—4 et IX, 1—3, praeterea inter se respondent ep. VI, 4—6 et I, 5—8. Eo autem hoc prooemium a reliquis duobus differt, quod Graecorum concordiae bellique Persici nulla fit mentio. Ad has enim duas res etiam in ep. I spectari facile intellegi censemus e verbis, quae in 7. et 9. par. leguntur. Sine dubio in eis, quae sequebantur, si modo aliquid sequebatur, concordia Graecorum bellumque Persarum tractata erant.

Deinde autem non intellegitur, quomodo Speusippus ille putare potuerit epistulam 6. ad Iasonem datam esse, in qua semper plurali numero ad eos, quibus mittitur, significandos auctor usus sit. Minime autem veri est simile illum tantopere erravisse, ut epistulam 9. Agesilao inscribi diceret, praesertim cum statim initio legantur verba: *εἰδώς, ὦ Ἀρχίδαμε* et in par. inde ab 11 de illo ipso verba fiant, quibus pater eius, ad quem epistula datur, appellatur? Tum silentio praeterire non licet auctorem illius epistulae Socraticae has epistulas falso ordine enumeravisse. Prima enim scripta esse non potest post annum a. Chr. n. 367, quo Dionysium maiorem mortuum esse constat; sexta autem paulo postquam Alexander, Thessalorum tyrannus, interfectus erat, id quod anno fere 359 factum esse veri est simile;[1]) nonam denique anno 356 compositam esse apparet ex eius par. 16. Itaque, si ille epistulas, quas nos habemus, legit, fieri non poterat, ut eam primo loco poneret, quam novissimam esse ei facile ad cognoscendum erat. Atque alienus est hic vitiosus ordo inscriptionesque a tota illius epistulae Socraticae indole, quam multitudine exquisitorum testimoniorum excellere Susemihlus dicit (Alex. L. II, 587).

His omnibus argumentis adducimur, ut ex illo loco epistulae Socraticae quicquam de fide epistularum Isocratearum, inprimis 6 et 9, effici posse negemus.

Quibus praemissis nunc nobis liceat accuratius exponere de ep. 9. Haec singularem obtinet locum inter epistulas Isocrateas eo, quod ad eius authentiam diiudicandam magnum argumentum aliunde atque e sermone et compositione deduci potest. Est autem ratio, quae intercedit inter hanc epistulam et orationem (6) quae Archidamus inscribitur. Atque cum e par. 16 epistulae, in

---

[1]) Schaefer, l. l. I, 151 adn. 2.

qua auctor de se ipso dicit: *ἐγὼ δ' οὕτως ἐπ' ἐμαυτῷ μέγα φρονῶ, καίπερ ἔτη γεγονὼς ὀγδοήκοντα* e. q. s., eam anno 356 compositam esse colligatur, nunc, quo anno oratio 6 divulgata sit, quaeramus oportet. Quae oratio, si anno 365, ante ep. 9 est conscripta, ab Isocrate si epistulam composuit, silentio praeteriri non poterat; epistulae 9 exordium *εἰδὼς πολλοὺς ὡρμημένους ἐγκωμιάζειν σὲ καὶ τὸν πατέρα* etqs tum plane careret sensu. Itaque ut diiudicetur, utrum epistula genuina sit necne, quo tempore oratio illa sit composita statuamus oportet. Quacum quaestione arte coniungitur ea, quae est de consilio orationis, ut de eius tempore et consilio exponere nunc nostrum sit. De quibus quid iudicandum sit, sicut adhuc viri docti dissentiunt, ita iam antiquis temporibus variae sententiae prolatae sunt. Anonymus enim ille auctor, qui hypothesin composuit, duas esse sententias exponit, cum dicit (p. LVI ed. Blass.): *καὶ οἱ μὲν λέγουσιν, ὅτι πέμψας Ἀρχίδαμος ἐν Ἀθήναις τὸν λόγον παρὰ Ἰσοκράτους ἐδέξατο· ἄλλοι δέ φασι γυμνασίαν εἶναι τὸν λόγον Ἰσοκράτους, τίνας ἂν εἴποι λόγους Ἀρχίδαμος συμβουλεύων Λακεδαιμονίοις.* Alii igitur orationem ab Isocrate conficiendam curasse Archidamum, alii eam nil esse nisi exercitationem vel declamationem contendebant. In eis, qui Isocratem orationem Archidamo composuisse dicebant, numerandus est Dionysius,[1]) auctor illius orationum peritissimus. Cuius auctoritatem secuti sunt Clinton (f. Hell, ed. 1830 p. 125) et Grotius (Gr. Hist. V, 488 adn. 101, 1880[2]), qui censent illam orationem ab Isocrate compositam esse eo consilio, ut ab Archidamo in contione haberetur, i. e. anno 365. Altera est sententia eorum, qui illam orationem ab Isocrate scriptam editamque esse arbitrantur, ut Atheniensibus odium Thebanorum iniceret eosque adhortaretur, ut Lacedaemonios ab illis oppressos adiuvarent, id quod statuerunt Benselerus in editione a. 1854 facta p. 69, Keilius in Anal. Isocrateis p. 6/7 a. 1885, Wilamowitzius in Arist. et Ath. II, 394 a. 1893 iterumque in Hermae vol. XXXII p. 494, Meyerus in Gesch. d. Alt. V, 450 a. 1902; Drerupius in ed. Isocr. (1906) vol. I praefatione, inde a. p. CLI.[2]) Qui viri docti orationem eodem anno, quo illi, exortam esse sibi persuaserunt. Tertiam deniquo sententiam sequuntur ei, qui Isocratem ea oratione omnino nil efficere voluisse in rebus gerendis publicis, sed eam esse declamationem dicunt, id quod docuerunt Weissenbornus in Encycl. serie II vol. 25 p. 47, Spengelus in *συναγωγὴ τεχνῶν* p. XXIV a 1828, Niebuhrus in eo libro, qui inscribitur „Vorträge über alte Gesch.“ II p. 229 a. 1848, Vahlenus

---

[1]) conf. cap. 9 libelli de Isocrate conscripti, p. 67, 12 ed. Us. Raderm.

[2]) Drerupii editionis vol. I editum est, cum haec omnia iam conscripsissemus.

in Relatt. Acad. Vindob. 1863 p. 504, Reinhardtius in dissertatione, quae est de Isocratis aemulis p. 21 (1873), Schaeferus in libro Demosth. u. s. Zeit inscripto I, 114 adn. 2 (1885[2]), Blassius in Eloqu. Attic. II, 88, 288 sqq. (1892).[2]) Quorum omnium de tempore orationis nemo accuratius egit quam Blassius, qui eam decem fere annis post illum annum conscriptam esse argumentis evincere studuit, qua in sententia cum aliis rebus tum epistula 9, quam genuinam esse affirmat, nititur.

Hae igitur sententiae examinandae ac perpendendae erunt, ut quid sit de eis iudicandum, appareat.

Ac primum quidem quid ex oratione ipsa ad tempus accuratius definiendum lucrari possimus, quaeretur. Constat autem post pugnam Leuctricam civitates Peloponnesiacas diuturnis bellis vehementissime cruciatas et oppressas esse, ut Corinthii, Epidaurii, Phliasii, socii Lacedaemoniorum, pacem facere cum Thebanis studerent, praesertim cum Athenienses Corintho potiri in animo haberent. Itaque civitates illae primum Lacedaemonios adierunt, ut hi quoque pacem facerent. Sed ei pristinae virtutis memores in bello perseverare constituerunt, quia Messenia cedere nolebant. Ita factum est, ut a. a. Chr. n. 366/5 illi socii Lacedaemoniorum soli cum Thebanis pacem inirent (Diod. 15, 76). In eis autem deliberationibus, quae tum Lacedaemone habebantur de pace facienda, Archidamum loquentem ab Isocrate induci ex locis haud paucis orationis ipsius intellegitur. Ac primum quidem liceat afferre eos, ex quibus anni, ante quos oratio composita esse putanda est, expediri possunt.

In par. 8 haec leguntur: *αἰσχυνοίμην γὰρ ἄν, εἰ γεγονὼς μὲν ἀφ᾽ Ἡρακλέους, τοῦ δὲ πατρὸς βασιλεύοντος, αὐτὸς δ᾽ ἐπίδοξος ὢν τυχεῖν τῆς τιμῆς ταύτης, περιίδοιμι, καθ᾽ ὅσον ἐστὶν ἐπ᾽ ἐμοί, τὴν χώραν, ἣν ἡμῖν οἱ πατέρες κατέλιπον, ταύτην τοὺς οἰκέτας τοὺς ἡμετέρους ἔχοντας.* Agesilaus autem, illius pater, anno 360/59 mortuus est.[1]) Itaque ille non potuit ita loqui nisi ante hunc annum. Accuratius autem terminus ante quem qui dicitur, e par. 56 intellegitur, ubi ille dicit: *τίνας γὰρ ἴσμεν, ὧν καὶ ποιήσασθαι μνείαν ἄξιόν ἐστιν, οἵτινες ἅπαξ ἡττηθέντες καὶ μιᾶς εἰσβολῆς γενομένης οὕτως ἀνάνδρως ὡμολόγησαν πάντα τὰ προσταττόμενα ποιήσειν.* Quibus verbis eum ad cladem Leuctricam inprimis et ad invasionem Thebanorum paulo post factam spectare apparet. Itaque ante pugnam apud Mantineam a. a. Chr. n. 362 commissam haec verba dicta sunt. Quo paulo priorem annum reperimus e par. 27: *καὶ Θεσπιὰς μὲν καὶ Πλαταιὰς ἐχθὲς καὶ πρῴην ἀναστάτους πεποιήκασι.*.

---

[1]) Meyer, l. l. p. 472.

Quo loco non commemoratur Orchomenum solo aequatam esse, id quod accidit anno fere 364/3 teste Diodoro 15, 79.[1]) Quare ante hunc quoque annum ille contionans inducitur, neque enim ei erat, cur Orchomenum omitteret, si post illum annum ea verba fecit.

Praeterea ex hac paragrapho colliguntur duo anni, post quos oratio orta est. Nam cum Thespiae anno 375/4 et Plataeae anno 374/3 a Thebanis deletae sint, oratio post eos annos scripta est.[2]) Sed etiam post annum 371 eam compositam esse apparet e par. 9 verbis: *δεδυστυχηκέναι δοκοῦμεν ἐν τῇ μάχῃ τῇ πρὸς Θηβαίους.* Praeterea e par. 28 intellegitur Messenam conditam esse, id quod factum est anno 370/69.[3]) Agmen autem claudat par. 45, in qua de Dionysio maiore haec dicuntur: *τυραννῶν δὲ τὸν βίον διετέλεσε, καὶ τὸν υἱὸν ἐν ταῖς αὐταῖς τιμαῖς καὶ δυναστείαις, ἐν αἷςπερ αὐτὸς ἦν, κατέλιπεν.* Ille igitur vita decesserat, id quod accidisse constat anno 367.[4]) Ex omnibus autem, quae attulimus, apparet orationem poni ab auctore eo tempore, quod erat inter Dionysii maioris mortem et ante Orchomenum deletam, annis 366 et 365. Quo tempore teste Diodoro illa pax supra commemorata a sociis Lacedaemoniorum cum Thebanis est facta.

Iam quam accurate oratio ad eas deliberationes, quae ante pacem confectam Lacedaemone habebantur, spectet, facile quivis intelleget ex his paragraphis: 2 *νῦν δ'ὁρῶν τοὺς μὲν συναγορεύοντας οἷς οἱ πολέμιοι προστάττουσι, τοὺς δ'οὐκ ἐρρωμένως ἐναντιουμένους* ... 7 ... *ἠγωνιζόμεθα, νῦν δ'ὑπὲρ τοῦ μὴ ποιεῖν αὐτοὶ τὸ προςταττόμενον* ... 11 *συμβεβουλεύκασιν ὑμῖν,* ... *ποιήσασθαι τὴν εἰρήνην* ... 13 *πειρῶνται διδάσκειν ὑμᾶς, ὡς χρὴ τοῖς ἐχθροῖς τῆς ἡμετέρας παραχωρῆσαι* ... *καὶ* ... *ἐπαπειλοῦσιν ὡς* ... *ποιησόμενοι τὴν εἰρήνην κατὰ σφᾶς αὐτούς.* 33. 34. 39. 43. 51. 52. 55. 57. 58. 70. 84. 86. 88! 90. 94. 101. 106. 107. Illis igitur deliberationibus anno 366 Lacedaemone habitis commotus Isocrates orationem 6 conscripsit.

Quae sententia eo quoque firmatur, quod omnino nullum aetatis posterioris vestigium invenitur, quod, si oratio nonnullis annis post illud tempus composita esset, facillime irrepere potuit. Accedit, quod intellegi non potest, cur Isocrates aliquanto post eum annum, cuius rebus oratio originem debet, eam conscripserit tum, cum earum rerum memoria non iam recens aliisque rebus animi civium occupati erant.[5]) Haec autem sententia non potest

---

[1]) Schäfer, l. l. I, 123 adn. 1; Meyer, l. l. p. 460/1.

[2]) Meyer, l. l. p. 391. 401.

[3]) Meyer, l. l. p. 427.

[4]) Schäfer, l. l. I, 91. Meyer, l. l. p. 443.

[5]) Similiter Drerupius l. l. iudicat.

probari nisi statuitur orationem declamationis loco esse habendam[1]), id quod sibi persuaserunt ei, qui orationem nonnullis annis post 366 ortam esse existimant velut Niebuhrus, Vahlenus, Reinhardtius, Niesius (P. Wiss. II, 469), Blassius. Quorum sententiam veram non esse infra demonstrabitur. Quod autem attinet ad tempus, quo illi orationem ponunt, Niesius nil dicit nisi haec: „Die Rede scheint aber erst einige Jahre später abgefaßt zu sein.“ Neque argumenta protulerunt praeter Blassium reliqui, qui hypothesis auctorem secuti oratione res, quae statim post pugnam apud Mantineam commissam gestae sint, tractari censent. Solus Blassius, qui eam esse ortam intra annos 356 et 353 censet, argumenta attulit, de quibus infra (p. 33) verba fient. His autem annis, quibus illi viri docti eam ponunt, orationem confectam non esse nunc nobis liceat demonstrare.

Ac primum quidem ex tota indole et compositione orationis facile intellegi potest eam non illis annis originem debere. His enim genus dicendi Isocrateum plane aliud est ac prioribus temporibus. Cuius posterioris dictionis exempla sunt orationes, quae inscribuntur *Περὶ εἰρήνης*, *'Αρεοπαγιτικὸς*, *περὶ 'Αντιδόσεως*, *Φίλιππος*, *Παναθηναϊκός*. Quarum duae primae eis ipsis annis, quibus Blassius Archidamum esse conscriptum docet, editae sunt. Atque cum hunc comparamus cum illis orationibus, Archidami dictionem et compositionem multo adstrictiorem et perfectiorem esse quam illarum facile cognoscimus. Ubertas enim illa et abundantia, quibus Isocrates in posterioribus illis orationibus usus est, in or. 6 nondum inveniuntur. Quam propter totam indolem prioribus annis poni oportere, vidit iam Bréquigny, cum dicit[2]): „le feu, qui y règne, ne permet guère de croire qu'elle ait été composée plus tard.“ Qui etsi orationem non plane recte anno fere 370 natam esse existimat, tamen eam in scriptis posterioris aetatis propter indolem numerari non posse sensit. Similiter Weissenbornus l. l. exposuit: „Die Rede steht der Zeit nach in der Mitte zwischen den Jugendwerken, die dem Gorgias mehr nachgebildet sind, und zwischen den Werken des hohen Alters, die schon manche nüchterne und minder kräftige Stellen enthalten und, obgleich frei von jener Glätte und Ausführung der Perioden, wie sie der Panegyr. zeigt, doch in großer Schwatzhaftigkeit sich über Lieblingsthemata ergehen. Der Arch. ist ebenfalls mit jenen Parisosen und Antithesen nicht überfüllt, er enthält mehr kernige und kraft-

---

[1]) Drerup. haud scio an non recte exponat ne hoc quidem veri esse simile, cum dicit l. l.: cur quaeso rhetor id temporis modo praeteriti spatium in oratione respexit e. q. s.

[2]) Br., Vie des anciens orateurs grecs 1751 p. 17.

volle Stellen.“ Iam vero ipse Blassius, cum de artificiosa compositione orationum Isocratearum verba facit, Panegyricum et Archidamum laudat addens (l. l. II², 190): „Das Gegenteil dieser kunstgerechten Anlage zeigt sich allerdings in manchen späteren Reden.“ Itaque Blassius ipse Archidamum a posterioris aetatis orationibus differre concedit. Quem ad locum Keilius (l. l. p. 7 adn. 2) recte adscripsit: „mihi hoc novum testimonium est orationem ab oratore aetate minus provecto quam Blassius vult, conscriptam esse.“

Ut orationis dictione et compositione ita locis quoque nonnullis eam isdem fere annis ac Symmachicum confectam esse existimare vetamur. In Symmachico enim Isocrates Atheniensibus suasit, ut imperium maritimum deponerent sociosque qui defecissent, liberos esse paterentur. Quod consilium si illi secuti essent, omnem auctoritatem, quippe quae classe niteretur, amisissent. Totum autem consilium repugnat eis, quae in Archidami par. 89 leguntur: *τοὺς γὰρ ἐν ἀξιώμασι καὶ φρονήμασι τηλικούτοις βεβιωκότας δυοῖν δεῖ θάτερον, ἢ πρωτεύειν ἐν τοῖς Ἕλλησιν, ἢ παντάπασιν ἀνῃρῆσθαι μηδὲν ταπεινὸν διαπραξαμένους ἀλλὰ καλὴν τὴν τελευτὴν τοῦ βίου ποιησαμένους.* Quae verba etsi Archidamo Lacedaemonios adhortanti tribuuntur, tamen ex Isocratis sententia dicta sunt, ita ut in universum valeant. Accedit, quod Isocrates Athenienses quoque in numero eorum habuit, qui vocabulis *τοὺς γὰρ . . . βεβιωκότας* significantur. Neque credibile est Isocratem eodem fere tempore talia a se discrepantia dixisse qualia leguntur in Arch. par. 50, 104 et in Symmachico inde a par. 20. Ibi enim princeps plane in universum exponens inducitur: *χρὴ δὲ τοὺς μὲν εὖ πράττοντας τῆς εἰρήνης ἐπιθυμεῖν; ἐν ταύτῃ γὰρ τῇ καταστάσει πλεῖστον ἂν τις χρόνον τὰ παρόντα διαφυλάξειεν· τοὺς δὲ δυστυχοῦντας τῷ πολέμῳ προσέχειν τὸν νοῦν· ἐκ γὰρ τῆς ταραχῆς καὶ τῆς καινουργίας θᾶττον ἂν μεταβολῆς τύχοιεν* (50). Idem in par. 104 haec statuit: *αἱ γὰρ ἐπιφάνειαι καὶ λαμπρότητες οὐκ ἐκ τῆς ἡσυχίας ἀλλ' ἐκ τῶν ἀγώνων γίγνεσθαι φιλοῦσιν.* His autem sententiis prorsus contraria sunt ea, quae leguntur in Symmachici par. 20 sqq., quibus pace sola salutem gigni demonstratur quarumque summa inest in par. 24: *χρὴ δὲ τοὺς πρωτεύειν ἐν τοῖς Ἕλλησιν ἀξιοῦντας τοιούτων ἔργων ἡγεμόνας γίγνεσθαι πολὺ μᾶλλον ἢ πολέμου καὶ στρατοπέδων ξενικῶν, ὧν νῦν ἐπιθυμοῦντες ἡμεῖς τυγχάνομεν.* Itaque hac quoque re adducimur, ut nonnullos annos inter 6. et 8. orationes intercedere censeamus.

Iam vero cum quantopere orator omnibus affectibus ad animos audientium excitandos usus sit consideramus, eo quoque nobis fit veri simillimum orationem conscriptam esse eo ipso anno, cuius res tractentur. Nam, ut Keili verba huc transferamus:

„unde ille color, illa omnium affectuum commotio, illa tumescentis animi eloquentia? Quae in declamatione careret explicatione, excitans ista et excitata magniloquentia, unde originem traxerit, non iam quaeri potest.“ Inprimis qui par. 64 sqq. non praeoccupato animo perlegerit, talem descriptionem ex ipsa rerum condicione natam esse neque quindecim fere annis post quam res evenissent, facile sibi persuadebit. Itaque facimus cum Wilamowitzio et Meyero, quorum ille haec statuit (l. l. II², 394): „Den A. kann nur die vollkommenste Verkehrung aller Geschichte aus der Zeit losreißen, in die er sich selbst setzt, 366, und für die diese gut geschriebene politische Broschüre bestimmt ist,“ hic autem exposuit (l. l. p. 451 adn.): „Die Schrift ist deutlich im Jahre 366 geschrieben, mitten aus der politischen Situation des Momentes heraus und nichts weniger als ein Produkt der Stubengelehrsamkeit.“

Restat, ut pauca verba fiant de Blassii argumentis, quorum unum hoc loco in censum venit id, quod petit ex exordiis orationum Demosthenis Timocrateae et Philippicae primae. Quibus illum Archidamum esse imitatum Blassius dicit ob eamque rem orationem Isocrateam paulo ante Timocrateam (353) esse confectam. Suo autem iure Keilius monuit hanc imitationem minime esse premendam, cum dicit (l. l. p. 6/7): „quid impedit, quominus Isocratem et Demosthenem prooemiorum volumine usos esse statuamus, quale Andocidem et Lysiam tenuisse scimus et ab Antiphonte et aliis compositum esse accepimus?“ Praeterea si omnino Demosthenes imitatus est illud prooemium, Archidamum paucissimis annis ante compositum editumque esse existimemus minime oportet, et de prooemio primae Philippicae Blassius ipse haec statuit (l. l. III², 301): „es kehrt in der Prooemiensammlung wieder, und zwar scheint es nicht erst für diese Rede ausgearbeitet zu sein, sondern aus früheren *παρασκευαὶ* des Demosthenes zu stammen.“

Quae cum ita sint, Archidamum annis 366/5 paulo post illam pacem conscriptam editamque esse statuamus.

Iam restat, ut breviter disseramus de consilio orationis. Ac primum quidem ei, qui eam declamationis loco esse habendam censent, qua fortasse discipulis exemplum praebere voluerit, errare nobis videntur, praesertim cum constet id, quod ille in animo habuerit, re vera accidisse Lacedaemoniosque pacem ea condicione, ut Messenii liberi essent, non fecisse. Multo autem veri similius esset declamationem statuendam esse, si illi condicionem propositam accepissent. Tum Isocrates quomodo Lacedaemoniis, ut in bello gerendo perseverarent, persuaderi oportuisset, demonstrare potuit. Praeterea si oratio esset declamatio, hoc prorsus abhorreret ab usu Isocratis, qui reliquis scriptis suasoriis aliquid in rebus publicis

gerendis efficere in animo habuit.[1] Quod observari potest in Panegyrico, Philippo, Plataïco, Areopagitico. Neque, id quod Keilius l. l. monuit, excitans ista et excitata magniloquentia, illa vis, qua orator audientium animos ira, odio, metu perfigit, mollitia, clementia, spe perfundit, in declamatione bene explicari possent.

Ut haec sententia, ita eorum quoque, qui Isocratem orationem Archidamo misisse, ut ab eo in contione haberetur, opinantur, reicienda esse nobis videtur. Quae per se minime probabilis eo quoque refutatur, quod in contione loqui Archidamus legibus Lycurgi vetitus erat (cf. Arist. Pol. II, 11, 3 p. 1273a; Plutarch. vit. Lyc. c. 6; Busolt, D. gr. Staats- u. Rechtsaltert. 92² p. 104). Itaque, quae in 6 primis paragraphis Archidami leguntur, ad res Lacedaemonias non quadrant.

Isocrates igitur, ut finem faciamus quaestioni, oratione illa cives in Thebanos, iniustissimos homines, inflammare Lacedaemoniisque benevolentissimos reddere in animo habuit eo consilio, ne hi omni auxilio destituti paulatim illis succumberent neve illorum potentia nimis augeretur. Neque irrita fuerunt, quae civibus commendavit. Nam constat eos annis sequentibus magis magisque ab illis se avertisse Lacedaemoniisque favisse et anno 363 societatem inter Athenienses, Lacedaemonios, Mantinenses contra Thebanos eorumque socios factam esse.[2]

Sed ut redeat dissertatio ad epistulam 9, hanc genuinam esse negare cogimur eis, quae supra (p. 27 sqq.) de ratione, quae inter eam illamque orationem intercedit, statuimus quaeque nunc de oratione ipsa exploravimus. Iam videamus, num aliis quoque argumentis adducamur, ut de epistulae authentia dubitemus.

Ac primum quidem in censum venit locus, qui legitur in ep. 9, 11/14. Quae hic de Agesilao dicuntur, eisdem fere verbis in or. 5, 86/88 iterum leguntur. Haec autem Isocratem in oratione de Agesilao exposuisse non addentem se eadem iam ad Archidamum scripsisse vix est credibile, praesertim cum paulo ante par. 81 legatur excusatio: *ἅπερ ἐπέστειλα καὶ πρὸς Διονύσιον* et paulo post par. 93, ubi similia atque in Panegyrico profert: *καὶ μηδεὶς ὑπολάβῃ με βούλεσθαι λαθεῖν, ὅτι τούτων ἔνια πέφρακα τὸν αὐτὸν τρόπον ὅνπερ πρότερον* (cf. 4, 145 sqq.). Neque possumus assentiri Blassio, qui dicit (l. l. III 2, 380) illa, quae de Agesilao exposita sint, hoc epistulae loco, non orationis exspectari suumque obtinere locum. Nam si illos duos locos inter se comparaveris, differentias

---

[1]) Idem monuit Drerupius l. l., qui iure affert verba, quae 4, 17 leguntur: *ἀλλὰ δεῖ τὸν μὴ μόνον ἐπίδειξιν ποιούμενον ἀλλὰ καὶ διαπράξασθαί τι βουλόμενον* e. q. s. Haec ad Is. ipsum spectare in aperto est.

[2]) Curtius, Gr. Gr. III⁵, 368.

nonnullas, parvas quidem neque tamen neglegendas, statui posse facile nobis concedes. Atque in oratione quivis facile Isocratem cognoscat. In par. enim 86/88 adhibita est illa argumentandi ratio, de qua iam supra (p. 14) egimus. Propositio autem inest in par. 86: *ὧν Ἀγησίλαος . . . ὠλιγώρησεν οὐ διὰ κακίαν, ἀλλὰ διὰ φιλοτιμίαν.* Sequitur ratio in p. 87: *ἔσχε γὰρ διττὰς ἐπιθυμίας*; rationis confirmatio haec est: *προῃρεῖτο γὰρ βασιλεῖ τε πολεμεῖν* . . . Exornatio est: *συνέβαινεν οὖν* . . . quam excipit in p. 88 complexio: *ὥστ' ἐκ τῶν ἀγνοηθέντων κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον* . . . In epistula autem res ita est comparata. Propositio inest in p. 11: *οὐ μὴν ἀλλὰ κἀκεῖνος ἑνὸς πράγματος διήμαρτεν.* Sequitur nunc excusatio, qua illa argumentandi forma turbatur. Verbis quae sequuntur *ἐκεῖνος δ' ἐν ἅπασι τοῖς ἄλλοις διενεγκὼν διττὰς ἔσχεν ἐπιθυμίας* exponitur ratio, quam sequitur confirmatio *ἠβούλετο γὰρ* . . . Deinde exornatio legitur *συνέβαινεν οὖν* . . ., quam excipit complexio *ὥστ' ἐκ τῶν* . . . Itaque in oratione Isocrates rectissima via ad id progreditur, quod demonstrare vult, Agesilaum falso egisse; *διὰ φιλοτιμίαν, οὐ διὰ κακίαν* neglexisse eum, quae expressa sunt verbis *δεῖ γὰρ μηδὲν πρότερον πράττειν, πρὶν ἂν λάβῃ τις τοὺς Ἕλληνας δυοῖν θάτερον, ἢ συναγωνιζομένους ἢ πολλὴν εὔνοιαν ἔχοντας τοῖς πραττομένοις.* Quae cur ille neglexisset, postquam explicatum est, concluditur verbis *ὥστε* et quae sequ. Neque possumus probare, quae Blassius (l. l. III, 2, 480) protulit de illa excusatione: „Dem Philippos gegenüber war es nicht nötig, den Agesilaus so geflissentlich zu entschuldigen, wie es hier geschieht und wie es dem Sohne gegenüber allerdings angebracht war." Immo vero illa excusatio, quae inest in verbis *οὐ διὰ κακίαν, ἀλλὰ διὰ φιλοτιμίαν* multo melius, si Blassii sententiam amplectimur, in epistula ad filium data ad patris errorem excusandum locum haberet quam in oratione Philippo inscripta, neque quemquam potest fugere eam magis Isocratem sapere quam multa illa verba, quibus nil efficitur. Accedit, quod hic totus locus ab Isocrate abiudicandus est argumento haud levi nuper a Fuhro e collocatione verborum par. 12 *ποιεῖσθαι τοὺς λόγους* deducto, de quo infra (p. 37/8) accuratius agetur. Neque omittenda esse videtur differentia, quam inter orationis et epistulae locum intercedere docuit Gratia, cum dicit (l. l. p. 61): Is. deinde Agesilaum prudentissimum appellat et ita virtutem respicit, qua in Graecorum rebus administrandis maxime opus erat; imitator vero eum regem temperantia, iustitia, peritia omnibus antecellere dicit; sed hae virtutes nec oratoris fini necessariae nec verae erant etqs. Nam eae virtutes, quae adiectivis *ἐγκρατέστατος καὶ δικαιότατος καὶ πολιτικώτατος* significantur, hoc loco, quo de ducis, non regis virtutibus agitur, minus requiruntur.

Multo autem simplicius ac verius in oratione leguntur *ὧν Ἀγησίλαος ὁ δόξας εἶναι Λακεδαιμονίων φρονιμώτατος ὠλιγώρησεν.* Quorum verborum illud *δόξας*, quod suo iure suoque loco in oratione legitur, in epistula omittitur pauloque infra inseritur: *ἐπιθυμίας χωρὶς μὲν ἑκατέραν καλὴν εἶναι δοκοῦσαν*, neque vero videbantur pulchrae illae virtutes, sed erant, ut in oratione dicitur *ἐπιθυμίας καλὰς μὲν ἀμφοτέρας.* Atque habet nos assentientes Gratia statuens Isocratis vocem *ὠλιγώρησεν* mitiorem esse quam imitatoris *διήμαρτεν.* Quod Isocrateum esse negaverim, non quod cum illo vocabulum *ὠ.* principi aptius esse credam, sed quia est in aperto Isocratem, si epitulam ad filium dedisset, in ea usurum fuisse mitiore voce, praesertim cum in oratione non haberet, cur illi tantopere parceret.

Itaque haec de Agesilao dicta in epistula suum habere locum et ab Isocrate esse conscripta negamus, sed auctorem epistulae illas 5. orationis paragraphos imitatum esse contendimus.

Deinde, ut redeamus ad argumenta, quibus epistulam non esse Isocratis demonstratur. Gratia (l. l. p. 62) recte dixit: „anno 356 bellum sociale ardebat, et fieri non potuit, ut Isocrates nil de eo diceret.“ Nam profecto mirum esset Isocratem eo ipso tempore, cum anno ante socii defecerant et Athenienses strenue summaque opera bellum gerebant, bellum Persarum intendisse sociorumque neglexisse, praesertim cum quanti momenti hoc civibus esset, non ignoraret, id quod elucet ex or. 8, quam anno 356 conscriptam esse veri est simillimum.

Praeterea anno 356 Isocratem non potuisse ita de senectute dicere, ut in par. 16 *καίπερ ἔτη γεγονὼς ὀγδοήκοντα καὶ παντάπασιν ἀπειρηκὼς* Wilamowitzius recte observavit. Neque vero excusationem ipsam, sed magis etiam totam eius indolem argumenti loco esse habendam nobis persuasimus. Nam in perlegendis orationibus hos invenimus locos, quibus ille de senectute ut quodammodo se excuset, verba facit: 8, 145. 15, 9. 11. 26. 51. 59. 176. 5, 10. 28. 110. 149. 12, 3. 55. 88. Talis autem excusatio, qualis in epistula legitur, nullo alio loco invenitur nisi ep. 3, 4: *εἰ μὲν οὖν εἶχον τὴν αὐτὴν δύναμιν, ἥνπερ πρότερον, καὶ μὴ παντάπασιν ἦν ἀπειρηκώς.* Itaque plus momenti tribuimus formae excusationis quam excusationi ipsi, praesertim cum in 8. et 15. orationibus, quae eodem fere tempore atque epistula ponendae sunt, illa de senectute dicta saepius legantur.

Iam ad ea argumenta, quae ex sermone in epistula adhibito peti possunt, transeamus atque, ut in epistula 4, a gravioribus ordiamur.

In par. 10 leguntur verba *τῶν δ' ἄλλων ἃ περὶ τοῖς σώμασιν ἔχουσι περισπῶντες . . . ἐνίας δ' αὐτῶν ἐν ῥάκεσι περιφθειρομένας . . .*

Praepositionem *περὶ* c. dat. coniunctam non occurrere apud oratores atticos nisi hoc loco observavit Lutzius.[1])

Verbum *περισπᾶν* apud posteriores, ut apud Dionysium, Plutarchum, Charitonem, alios adhibitum legitur. Neque contrafacit locus Euripideus, qui in codicibus his verbis exaratus est: Iph. T. 296: *σιγῇ καθήμεθ', ὁ δὲ περισπάσας ξίφος,* sed a Piersone ita scriptus est . . . *χερὶ σπάσας ξίφος.* Medium genus illius verbi occurrit in Xenophontis Cyropaedia 3, 1, 13: *περιεσπάσατο τὴν τιάραν.*

Verba *ἐν ῥάκεσι περιφθειρομένας* colore nimis poetico ab Isocratis sermone differre iam Blassius monuit, sed quod excusat eam, cum Isocratem studio suo atque ardore abreptum esse dicit, haud scio an non recte fecerit. Nam *ῥάκος* substantivum exstare vidi apud Homerum, Herodotum, Aeschylum, Sophoclem, Euripidem, Aristophanem, Plutarchum, Lucianum, alios. Abhorret autem a sermone prosaicorum atticorum. In titulis atticis *ῥάκος* alia vi atque apud reliquos auctores et in epistula est adhibitum: cum enim hic significet Fetzen, Lumpen, ibi, ut Mommseni[2]) verbis utar, est „ein Stück Zeug, das menstrua aufgenommen".

Atque ut hoc statim addamus, ne *περιφθείρεσθαι* quidem sermonis Isocratei est. Quod verbum in tota graecitate rarissimum neque a poetis neque a prosaicis ante Lucianum usurpatum videtur esse uno fortasse loco excepto. Nam in Leocrateae par. 40 *περιφθειρομένους* occurrit, sed, si vera est lectio, alia tamen quadam vi atque in epistula adhibitum.

Par. 12 auctor dicit: *εἴθισμαί τε γὰρ μετὰ παρρησίας ἀεὶ ποιεῖσθαι τοὺς λόγους.* Dictionem *ποιεῖσθαι τοὺς λόγους* abhorrere ab Isocratis sermone nuper copiose exposuit Fuhrus.[3]) Hic enim demonstrat illum dixisse *τ. λ. ποιεῖσθαι* vocabulo sequenti a consonante incipiente aut forma verbi *π.* in consonantem desinente, ut 12, 22 *πολλοὺς λ. ποιούμενος περὶ ἀνθρώπων.* 12, 86 *τ. λ. ποιούμενος, ὅπως.* 12, 221 *πολλοὺς λ. ποιοῦνται περὶ αὐτῶν.* Quo ab usu differunt epistularum loci 9, 12 et 9, 16: *πρὸς σὲ ποιούμενον τοὺς λ., καὶ* . . ., congruunt cum eo 1, 7: *τοὺς λ. ἂν ἐποιούμην.* 8, 7: *περὶ ὧν ποιοῦνται τοὺς λ.. ἔχει δ' οὕτως.* 9, 14: *καὶ νῦν ποιήσομαι τοὺς λόγους.*

---

[1]) Lutz, Die Praepositionen b. d. att. Redn., Progr. d. K. Studienanst. z. Neustadt a. d. H. 1887 p. 135.

[2]) Philolog. 58, 343/7; p. 346 haec habet: dieser Darbringg (des *ῥ*) müssen, die zu geben hatten, noch Gaben, die der weibl. Gotth. wohlgefielen, besond. Kleider zugefügt haben u. alles Dargebr. bescheidenlich *ῥ*. genannt haben. So konnte es kommen, daß d. Ausdr. an den Gaben haftete und zu dem ihm ursprünglich fremden Sinne einer Dankesgabe für Erreichg. der jungfräulichen Altersstufe gelangte.

[3]) Berlin. Philol. Wochenschr. 1905 Nr. 10.

His praemissis singulas paragraphos recenseamus.

Par. 2: *οὐκ ἀγνοῶν τῶν λόγων τὸν εὐμεταχειριστότερον.* Hoc adiectivum neque in orationibus Isocrateis occurrit et, quantum vidi, a reliquorum quoque oratorum sermone alienum videtur esse. Invenitur tamen ep. 2, 20: *ἀνδράσιν οὐκ εὐμεταχειρίστοις.* Quae si spuria est, eo magis fides ep. 9 infirmatur; sin autem genuina, paulo tamen differunt loci inter se, quia hic positivus de hominibus, ibi comparativus de re aliqua usurpatus exstat. Neque ullo loco comparativum huius adiectivi usurpatum invenimus; semel apud Dionysium A. R. 8, 6 exstat superlativus: *ἀπ' ἐμοῦ τοῦ νεωτέρου τε καὶ εὐμεταχειριστοτάτου ἀρξάμενοι.*

τὰς περὶ τῶν ἄλλων εὐλογίας: apud Isocratem hoc substantivum singulari numero legitur: 7, 76. 5, 134. Pluralis numerus in Graecis litteris non occurrere videtur nisi in Axiocho, apud Pindarum, Philonem, in Novo Testamento.

Par. 4: *πόσοις δ' ἂν λόγοις ἐξεγένετο χρήσασθαι*: verbum *ἐκγ.* cum infinitivo coniunctum apud Isocratem dativum personae habet, velut 16, 36: *ἐκγενόμενον αὐτῷ μὴ μόνον μετ' ὀλίγων τῶν ἄλλων ἄρχειν* . . . 8, 92 . . . *ἰδεῖν αὐτοῖς ἐξεγένετο* . . 15, 8 . . . *οὕτως ἂν ἐκγενέσθαι μοι μάλιστα διαλεχθῆναι περὶ ἁπάντων.*

Par. 5: *μὴ κομψῶς, ἀλλ' ἁπλῶς διελθών*: adverbum *κ.* alias non occurrit; 15, 195 invenitur *κομψοτέρως πέφρασται.*

Par. 6: *εὐπόρως ἐπιδραμεῖν*: Isocrates adiectivum *εὔπορος* adhibuit, velut 4, 109. 2, 31. 8, 19. 13, 15. 5, 84. 132. 12, 167, adverbium nunquam. Neque *ἐπιδραμεῖν* apud Isocratem legitur.

ἂν μὴ κελευσθέντες παραινῶσιν: participium *κελευσθεὶς* cum *μὴ* coniunctum non invenitur nisi in epistulis, velut ep. II, 1. Qui loci tam accurate inter se congruunt, ut alter ex altero fluxisse vel uterque ab eodem compositus esse videatur.

Par. 7: *τῶν λόγων . . τοὺς ἐργωδεστάτους.* Adiectivum *ἐ.* abhorret ab oratorum Atticorum sermone (cf. Schmid, Atticism. II, 111).

Par. 8: *ἐνθυμηθῆναι περὶ τῶν κοινῶν πραγμάτων.* Haec constructio verbi *ἐ.* ab Isocrate aliena est; nam quod Papius affert in lexico, or. 4, 9, hoc loco res aliter est comparata, quia in verbis *τὰ προσήκοντα περὶ ἑκάστης ἐνθυμηθῆναι* coniungitur *ἐνθ.* cum accusativo *τὰ πρ.* neque cum sola praepositione *περί.* Unus autem locus afferri posse videtur, or. 15, 199: *πρῶτον δ' ἐνθυμήθητε περὶ τῶν φλυαρίαν φασκόντων εἶναι τὴν παιδείαν ὡς αὐτοὶ λίαν καταφανῶς ληροῦσιν*; sed hic quoque locus paulo ab epistulae differt, cum pro obiecto addita sint verba *ὡς ληροῦσιν.* Reliquis locis, quibus Isocrates hoc verbum adhibuit, inter se comparatis apparet id usurpatum esse aut absolute ut ita dicam aut cum genetivo aut cum accusativo coniunctum. Atque cum hoc verbum apud Isocratem

usitatissimum sit et elocutionem illius non eandem omnibus temporibus fuisse, sed paulatim variatam esse et per se veri sit simile et a Schwabio (de gen. dic. Isocrat. 1883 Halis Sax.) nonnullis exemplis demonstratum, orationum eos locos, quibus ἐ. occurrit, ordine temporis servato enumerabo, ut, quomodo ille hoc verbo variis temporibus usus sit intellegatur.

oratio	absolute	cum gen.	cum acc.	περὶ c. g.
18	14 27. 42. 68.			
20	7. 15.			
16	43.	12.		
17		57.	48.	
21	18.			
19	33. 49.			
13				
11	46.			
10	5.		45.	
4	44. 189.	122. 184.	9. 170.	
14	6. 8. 17. 39. 62.	51.		
2		11.	5.	
3				
(1)	48.			
9				
6	9. 109.	52.		
8		121.		
7				
15	6. 17. 60. 159. 179.	122. 173. 309.	257.	199.
5	140. 134. 144.	78. 118.		
12	223.		239. 253.	
		In epistulis:		
I				
VI				
IX				8.
VIII		6.		
VII	6.	3.		
II	20.	9.		
V				
IV				
III				

Qua ex tabula de usu verbi ἐνθ. haec intelleguntur. Saepissime, tricies, Isocrates id adhibuit in orationibus prioribus usque ad annum fere 370; saepius quoque usus est illo verbo in orationibus posterioribus inde ab anno fere 354, undevicies; perraro, quinquies, occurrit verbum ἐνθ. in reliquis orationibus. Usus autem fere legitimus est absolutus qui dicitur, triginta uno locis; rarior est constructio cum genetivo, quae ter decies exstat; minor est numerus eorum locorum, quibus ἐνθ. cum accusativo coniunctum legitur. Singularis autem quodammodo usus est, qui reperitur 15, 199

et 4, 9. Prorsus autem aliena ab Isocratis sermone putanda est constructio, qualis in ep. 9 occurrit. Usus verbi *ἐνθ.* qui est in reliquis epistulis, ab Isocrateo fere non recedit. Nam ut omittamus verbum illud praeter ep. 9, 8 non nisi in tribus epistulis (8. 7. 2) adhuc a nullo in dubium vocatis occurrere, bis absolute et ter cum genetivo coniunctum legitur.

τῷ . . . . . . τρόπῳ τῷ τῶν βαρβάρων χρωμένους: apud Isocratem nusquam *τρόπῳ χρῆσθαι* legitur; 15, 6 occurrit: *τὸν τρόπον ὃν ἔχω.*

δυσπραξίας οὕτως αἰσχρῶς καὶ δεινῶς διατιθεμένης: adverbium *δεινῶς* in orationibus illius non invenitur.

Par. 10: . . . *γυναῖκας ὑβρίζοντες, καὶ τὰς μὲν εὐπρεπεστάτας καταισχύνοντες* . . . . Adiectivum *εὐπρεπής,* quod 12, 267 de morbo, quo Isocrates laborabat, dicitur, hic de feminarum forma usurpatum exstat. Qui usus rarissimus est apud oratores; apud solum Demosthenem uno loco 19, 196 invenitur id adiectivum. Priorum temporum auctorum Xenophon bis (Mem. 2, 1, 22. Anab. 4, 1, 14) simillime atque in epistula est adhibitum, id usurpavit. Saepius autem occurrit apud Aristophanem et semel in oratione Demostheni falso attributa (40, 27). Apud reliquos prosaicos atticos de rebus dici hoc adiectivum testantur Stephanus et Papius.

Verbum *καταισχύνειν* hoc loco ad personas refertur, cum reliquis locis de rebus dicatur, velut 4, 97. 152. 6, 93. 110. 7, 76. 83.

ἃς πρότερον οὐδὲ κεκοσμημένας ἦν ἰδεῖν: verbum *κοσμεῖν* de personis usurpatum apud Isocratem non legitur comparatis locis 9, 76. 7, 66. 15, 234. 5, 27.

Par. 12: . . . *παρὰ τὸ προσῆκον ἐπαινέσας χαρίσασθαι*: *παρὰ τὸ προσῆκον* dictio ab Isocratis sermone aliena est. Saepissime autem apud eum legitur *παρὰ τὸ δίκαιον,* ut 6, 28. 55. 70. 88. 94 etc.

Par. 13: *τὸ μὲν οὖν ἐμὸν οὕτως ἔχον ἐστίν* . . . haec tota dictio non Isocratea est. Nam singularem numerum pronominis *ἐμὸς* substantive usurpati in orationibus frustra quaesiveris; pluralis numerus occurrit 19, 34. 3, 49. 51. 15, 74. 88. 5, 83. 94. 12, 137. 155. 206. Idem usus reperitur in par. 18 huius epistulae: *τὸ μὲν οὖν ἐμὸν ἔλαττόν ἐστιν, . . . σοὶ δὲ προσήκει.* Quo loco *τὸ ἐμὸν* fere idem valet ac *τὸ ἐμὸν ἔργον.* In orationibus autem hoc substantivum additur, ut 9, 80 *ἐμὸν οὖν ἔ. . ., σοὶ δὲ προσήκει.* 4, 98. 8, 39.

Praeterea *ἔχον ἐστὶν* apud Isocratem non invenimus; sed semper adhibet ille verbum simplex *ἔχειν,* ut 4, 119. 163. 6, 25. 86. 8, 28. 15, 52. 130. 218. 283. 313. 5, 96. 12, 134 *αἱ μὲν οὖν φύσεις* . . . nisi *οὕτως ἔχουσιν.* 219. alias.

Par. 17: dictio *τὰς πράξεις ἐπιτελεῖν* praeter hunc locum non nisi ep. I, 6 exstat.

Ut in sermone, ita in tota componendi ratione offensiones insunt, quarum multae iam a Blassio (l. l. II² 295 adn. 5) castigatae sunt. Quo loco commemorandae sunt anacoluthiae quae vocantur par. 6/7 et 17, quamquam haec a Dobraeo, qui pro *προκριθῆναι* proposuit *προκρῖναι*, est sublata. Anacoluthias autem ab illo periodorum artifice evitatas esse constat (cf. Blassium l. l. II² 174).

Praeterea, id quod Blassius monuit l. l., non satis artificiosus dignusque Isocrate est conexus singularum partium paragraphorum 8 et 9, in quibus non minus 6 enuntiata a pronomine relativo fere omnibus casibus adhibito incipiunt, ut falsarium polyptoton figuram imitari voluisse suspiceris. Hac autem figura Isocratem inprimis in verbis *πολύς, οὗτος, ὅς, τίς* usum esse etsi scimus, tamen exemplis a Blassio (l. l. p. 182) et Gehlertio (l. l. p. 43) allatis cum his paragraphis comparatis haec ratio enuntiata coniungendi non ferenda nobis videtur esse.

Denique id argumentum, quod e ratione, quae inter ep. 9, 11/14 et or. 5,86–88 intercedit, duci potest, iam supra (p. 34/6) est absolutum.

Ex his autem omnibus, quae de epistula 9 allata sunt, eam non ab Isocrate esse compositam apparere nobis videtur.

Iam transeamus ad

epistulam VI

tractandam, cuius de mutila forma iam supra disseruimus (inde a p. 25).

Τοῖς Ἰάσονος παισὶν inscribitur haec epistula, i. e. filiis Iasonis, tyranni Thessalorum, quem anno a. Chr. n. 359 interfectum esse supra (p. 27) commemoravimus. Ac primum quidem de tempore, quo haec epistula est composita, variae sententiae prolatae sunt. Qua de re copiosius egerunt Hauptius (l. l. p. 20/26) et de Gratia (l. l. p. 23/4), paucissimis verbis Blassius (l. l. p. 297) et Meyerus (l. l. p. 480), Muenscherus[1]) de tempore nil habet. Atque Coraës, Pfundius, Sauppius eam anno 369, Bréquigny anno 368, Hauptius anno 373, de Gratia inter annos 359 et 352, Blassius et Meyerus brevi post annum 359 ponunt. Iam videamus, quis eorum recte iudicaverit.

Qua in quaestione diiudicanda proficiscendum est ex eis, quae ex epistula ipsa intelleguntur. Iasonis filiis consilium datur, ut vitam privatorum anteponant tyrannorum (par. 11). His igitur eo tempore vitae suo arbitrio instituendae facultas fuit. Quae eis erat, postquam Alexander, tyrannus Thessalorum, ab eis interfectus est.[2]) Hos postquam aliquamdiu populares sese praestitissent, tyrannorum crudelium more sese gerere coepisse Diodorus testatur (16, 14).

[1]) l. l., quo epist. spuriam esse demonstrare studuit: solus Gratia cum eo fecit.

[2]) cf. Meyer, Gesch. d. Altert., 1902, V, 479. 480.

Eo igitur tempore, quo illi tyrannidem nondum occupaverant multis excitantibus (par. 12: *πολλοὺς ἔξω τοὺς ἐναντιουμένους, καὶ μάλιστα τοὺς περὶ ὑμᾶς ὄντας. οἶμαι γὰρ οὐχ ἥκιστα τούτους ἐπὶ τὴν τυραννίδα παροξύνειν ὑμᾶς*), epistula ipsa sese ponit. Itaque nostra quidem sententia Blassius et Meyerus tempus epistulae recte constituerunt. Hauptius autem, qui solus sententiam argumentis satis multis fulcire studuit, errat, quod Iasone vivo epistulam compositam esse existimat; nam, ut ipsius verbis utar, si (Iaso et Polyalco) mortui iam essent, vix dubium mihi est, quin Isocrates paullo accuratius hoc descripturus fuerit. Praeterea verba *οἶμαι γὰρ ἂν τὴν ὁμιλίαν τὴν γενομένην ἅπασιν ἡμῖν συνενεγκεῖν* (par. 1) permire dicta esse, si Iaso et Polyalco non una eis comprehenderentur, opinatur. Quae argumenta quam levia sint, est in aperto. Ex illis enim ipsis verbis par. 1: *ἐγὼ δ' ἕνεκα μὲν τῆς Ἰάσονος καὶ Πολυαλκοῦς ξενίας ἡδέως ἂν ἀφικοίμην ὡς ὑμᾶς* nostra quidem sententia effici posse videtur illos mortuos esse, ita, ut auctor dicat se propter hospitium, quod sibi cum parentibus fuerit, libenter venturum esse. Eos non mortuos esse verbis illis minime demonstratur. Neque argumentum est, quod ille p. 24 affert, cum dicit: „quomodo tum Isocrati licuit epistulam inscribere *τοῖς Ἰάσονος παισίν*? quoniam tyrannide occupata sine dubio erant adulti,“ cum vocem *παῖς* non solum puerum, sed etiam adulescentem significare inter omnes constet. Itaque Blassius (l. l. p. 297 adn. 8) recte statuit: „irrig ist die Zeitbestimmung von H. Haupt auf 373.“ Ad id autem tempus, quod Alexandrum interfectum subsecutum est, optime quadrant, quae par. 3 leguntur: *ὁρῶ γὰρ τὰς συμμαχίας τὰς πρὸς αὐτὴν γιγνομένας ταχέως διαλυομένας.* Tum enim rei publicae Atheniensium condicio pessima erat. Socii permulti illis eorumque opibus diffisi ab illis deficere coeperunt, qua de re conferendus est Meyerus l. l. p. 477. 479. 484.

Tempore epistulae constituto nunc liceat breviter disserere de tota eius indole.

Atque oportet commemoremus epistulam sextam similiter atque ep. quartam obscuritate quadam obrutam esse. De legatione enim, quae ab Atheniensibus ad Thessalos missa esse dicitur par. 1 (*ἀπήγγειλέ τις μοι τῶν πρεσβευσάντων ὡς ὑμᾶς*), apud nullum auctorem testimonium exstat. Neque quicquam certi est, quo Hauptii sententia nitatur. Qui illos in Thessaliam legatos misisse censet, „ut honorem ita Iasoni haberent, praesertim cum permagni sine dubio aestimarent, quod hic viribus praepollens ad ipsos accessisset.“ Haec autem omnia, quae ille pag. 26 l. l. de legatione exposuit, ipse excogitavit.[1])

---

[1]) De societate Iasonis et Atheniensium egerunt Meyerus l. l. p. 395 et Fabricius in Mus. Rhen. 46, 589 sqq. Hic demonstravit Iasonem inde ab autumno

Quibus absolutis nunc proferamus ea, quae de sermone, quo auctor epistulae usus est, observavimus. Atque ut incipiamus ab eis verbis, in quibus graviores offensiones inesse censemus, Muenscherus l. l. egit de verbo ὀριγνηθῆναι, quod in par. 9 legitur. Invenitur autem apud Hesiodum, Euripidem, Theocritum, apud prosaïcos posterioris aetatis, in Axiocho, apud Dionysium Hal., Dion. Cassium. Isocrates adhibuit pluries verbum ὀρέγεσθαι, ut 2, 2. 6, 105, alias. Neque diluitur hoc argumentum eo, quod Blassius (l. l. III[2] 2, 381) monet verbum ὀριγνηθῆναι ab Harpocratione ex Antiphonte sophista afferri, praesertim cum verbum poeticum esse videatur, Isocratem autem vocabula poetica evitavisse constet.

In par. 6 occurrit adverbium *διαπεπονημένως*: *εἰπεῖν δὲ περὶ τῶν προτεθέντων ἐπιχαρίτως καὶ μουσικῶς καὶ δ.* Hoc adverbium in Isocratis orationibus non legi Muenscherus l. l. docuit. Neque posse videtur afferri aliud exemplum huius adverbii usus.

In par. 5 leguntur verba: *ἀλλὰ γὰρ οὔτε πρότερον οὐδὲ πώποτε ἐφιλοτιμήθην ἐπὶ τούτοις, ἀλλ' ἐφ' ἑτέροις μᾶλλον, ἃ τοὺς πολλοὺς διαλέληθεν, οὔτε νῦν ἔχων ταύτην τὴν διάνοιαν ἐπραγματευσάμην, ἀλλ' ὑμᾶς μὲν ὁρῶν ἐν πολλοῖς καὶ μεγάλοις πράγμασιν ὄντας* e. q. s. Huius periodi constructio ab Isocratis consuetudine generis dicendi aliena est, quod attinet ad usum particularum *ἀλλὰ* sequentium negationes *οὔτε* — *οὔτε*. Saepissime enim occurrunt in orationibus particulae *οὐκ* . . . *ἀλλὰ* ut 2, 1; *οὐδὲ* . . . *ἀλλὰ* ut 2, 40: *οὐδεὶς* . . . *ἀλλὰ* ut 2, 4; inveniuntur praeterea *οὐκέτι* . . . *ἀλλὰ* ut 4, 8/9; *οὔκουν* . . . *γε* . . . *ἀλλὰ* ut 15, 313; *οὔπω* . . . *ἀλλὰ* 10, 40; *οὐδέτερον* . . . *ἀλλὰ* ut 3, 50; *οὔτε* . . . *οὔτε* . . . *ἀλλὰ* ut 12, 150. 3, 19; uno loco (2, 45) *ἀλλὰ* sequitur negationem *οὔτε* quater repetitam. Nusquam autem nisi duobus epistularum locis haec constructio *οὔτε* . . . *ἀλλὰ* — *οὔτε* . . . *ἀλλὰ* adhibita exstat: praeter hunc locum (ep. 6, 5) est ep. 2, 22: *φανήσομαι γὰρ οὔτε κολακεύειν αὐτὴν ἐν τοῖς λόγοις εἰθισμένος, ἀλλὰ πλεῖστα πάντων ἐπιτετιμηκώς, οὔτ' εὖ παρὰ τοῖς πολλοῖς καὶ τοῖς εἰκῇ δοκιμάζουσι φερόμενος, ἀλλ' ἀγνοούμενος ὑπ' αὐτῶν καὶ φθονούμενος ὥςπερ σύ.*[1])

Par. 8 auctor dicit: . . . *ζητητέον εἶναί φημι τὰς ἰδέας, δι' ὧν ταῦτ' ἐξεργασθήσεται καὶ λήψεται τέλος, ὅπερ ὑπεθέμεθα.* Atque

vel hieme anni 375 socium Atheniensium fuisse et ante pacem anno 371 factam de foedere decessisse. De ratione, quae intercessit inter Iasonis filios et Athenienses, nil certi constat. E paragrapho autem 3. epistulae 6: *φοβοῦμαι καὶ τὴν πόλιν . . . ὁρῶ γὰρ τὰς συμμαχίας τὰς πρὸς αὐτὴν γιγνομένας ταχέως διαλυομένας. εἰ δή τι συμβαίη καὶ πρὸς ὑμᾶς τοιοῦτον* . . . Blassius iure collegisse videtur tum societatem inter illos Atheniensesque fuisse (Eloqu. A. II[2], 298 adn. 1). Falso autem Meyerum (l. l. p. 480) dixisse censemus: „Damals standen sie mit Athen feindlich."

[1]) de *οὔτε πρότερον* . . . *οὔτε νῦν* vide paulo infra ad par. 5.

Iosephy,[1]) qui de initiis et clausulis singulorum enuntiatorum egit, ita tamen, ut epistulis non respectis initia periodorum trium orationum (Paneg., Philippi, Euag.), clausulas novem orationum examinaret, observavit in orationibus, duobus locis, sex breves syllabas in clausula esse (8, 12. 12, 29). A quo usu, quem vere Isocrateum esse omnes orationes perscrutati invenimus, plane differt hic epistulae locus, quo non minus novem syllabae breves in exitu leguntur. Neque tollitur haec difficultas loco, qui est 12, 150, quo novem syllabae breves recurrunt, quoniam non in clausula sunt ... *ὅθεν ἀπέλιπον· ὅπερ ἐγὼ ποιήσω.*

Iam quae ad singulas paragraphos adnotanda sunt, enumeremus.

Par. 1: . . . *ἕνεκα μὲν τῆς Ἰάσονος καὶ Πολυαλκοῦς ξενίας* ... Substantivum *ξενία* raro legitur apud Isocratem. Plurali numero occurrit 4, 43: *τάς τε παλαιὰς ξενίας ἀνανεώσασθαι* . . . In epistulis invenitur praeter hunc locum ep. VI, 4 et VII, 13.

Par. 2: *ἀλλὰ γὰρ ἐμποδίζει με πολλά, μάλιστα μὲν τὸ μὴ δύνασθαι πλανᾶσθαι καὶ τὸ μὴ πρέπειν ἐπιξενοῦσθαι τοῖς τηλικούτοις.*

Verbum *ἐμποδίζειν* semel in orationibus legitur: 15, 59 *νῦν δέ με τὸ γῆρας ἐμποδίζει.* In epistulis occurrit IV, 11.

τὸ μὴ δύνασθαι πλανᾶσθαι καὶ τὸ μὴ πρέπειν ἐπιξενοῦσθαι . . . hanc constructionem duorum infinitivorum articulo ornatorum ab Isocratis sermone alienum esse supra (p. 7/8) demonstravimus.

πάντες οἱ πυθόμενοι τὴν ἀποδημίαν δικαίως ἄν μου καταφρονήσειαν ... Substantivum *ἀποδημία* in orationibus non legitur. Occurrit praeter hunc locum ep. VII, 11. Verbum *ἀποδημεῖν* usurpatum exstat in orationibus 17, 4. 19, 20. 10, 18 et in ep. VI, 2.

. . . *εἰ καὶ πρότερον ἄλλοθί που διέτριβον* . . . Hic usus verbi *διατρίβειν* ab Isocrateo quodammodo differt. Verbum *δ.* enim apud illum fere semper cum praepositionibus coniunctum legitur, aut cum *ἔν τινι* ut 3, 37. 7, 48. 50. 9, 50. 15, 175. 271. 287. 9, 41. 12, 150 aut cum *ἐπί τινι* 4, 143. 11, 18. 23. 3, 19. 15, 18 aut cum *μετὰ* c. g. 5, 12 aut saepissime cum *περί τι* ut 2, 6 et permultis locis (v. indicem p. 46). Uno loco 4, 141 legitur: *ἤδη μὲν ἓξ ἔτη διατέτριφεν.* Nusquam verbum *δ.* cum adverbio loci ut hac in epistula ab Isocrate adhibitum est.

. . . *νῦν οἴκαδε σπεύδειν* . . . proprio sensu properandi in locum aliquem hoc verbum apud Isocratem non invenitur, id quod apparet e locis his: 4, 164 (*σπεύδειν καὶ μηδεμίαν ποιεῖσθαι διατριβήν*), 11, 28 *μὴ σπεύδειν ὡρμημένος πολλὰ . . . διελθεῖν.* In 3, 50. 15, 290 verbum *σπεύδ.* cum infinitivo, 5, 23 cum accusativo c. inf. coniungitur.

ὑπογυίου μοι τῆς τελευτῆς οὔσης . . . Haereamus oportet in

---

[1]) Der orator. Numerus bei Is. und Demosth. Zürich 1887.

substantivo *τῆς τελευτῆς*. Quod hoc loco significat vitae exitum. Sed hac vi Isocrates illud substantivum nunquam adhibuit, sed semper addidit *τοῦ βίου*, ut 4, 28 *περὶ . τῆς τοῦ βίου τελευτῆς*; (1, 43) *τὴν τοῦ βίου τελευτήν*; 6, 89 *καλὴν τὴν τελευτὴν τοῦ βίου ποιησαμένους*; 15, 322 *τοῦ βίου τὴν τελευτήν*; 15, 4 *ἤδη δ' ὑπογυίου μοι τῆς τοῦ βίου τελευτῆς οὔσης*, qui locus auctori epistulae sine dubio ante oculos versatus est. Reliqui loci, quibus *τ.* occurrit, sunt 4, 122. (1, 47.) 8, 101. 15, 65. 88. 72. 321. 12, 24. 200.

Par. 3: *εἰ δή τι συμβαίη καὶ πρὸς ὑμᾶς τοιοῦτον* . . . Particulas *εἰ δή* cum optativo coniunctas apud Isocratem non invenimus; hic adhibuit cum optativo coniunctas particulas *εἰ*, ut 2, 28. 14. 44, alias; *εἰ καὶ* ut 7, 48. 9, 24. 33. 12, 87 (bis); *εἰ μὴ καὶ* 16, 40; *πλὴν εἰ* 5, 5. 9. 15, 7. 17, 39.

Par. 4: *οὐ μὴν · περὶ τῶν ἐμαυτοῦ μόνον ἐπιστείλας οἶμαι δεῖν ἀμελῆσαι τῶν ὑμετέρων, ἀλλ' ἅπερ* . . . Verbum *ἐπιστέλλειν* apud Isocratem occurrit semel absolute usurpatum: 17, 6 *ἐπιστείλαντος Σατύρου*; semel passive: 17, 37 *ποιήσῃ τὰ ἐπεσταλμένα*; bis cum accusativo coniunctum: 11, 2 *ταῦτα δ' ᾠήθην χρῆναι σοὶ μὲν ἐπιστεῖλαι,* 5, 81 *ἅπερ ἐπέστειλα καὶ πρὸς Διονύσιον*; uno loco sequitur infinitivus: 17, 5 *ἐπιστέλλει δὲ . . . παραλαβεῖν*. Itaque hic usus, qui in epistula exstat, *ἐ. περί τινος*, non est Isocrateus.

Par. 5: *ἔπειτ' εἴπερ ἐπιδείξει προςεῖχον τὸν νοῦν ἀλλὰ μὴ πρὸς ὑμᾶς ἐσπούδαζον* . . . De constructione verbi *σπουδάζειν* Muenscherus egit[1]). Qui recte statuit apud Is. non legi verbum *σπ.* cum praepositione *πρός* c. acc. coniunctum. Neque tollitur haec offensio eis, quae Blassius[2]) attulit, cum dixit eis locis, quibus *σπουδ. περί τι, περί τινος, ὑπέρ τινος, ἐπί τινι* occurreret, illud *τὶ, τινὸς, τινὶ* neutrius generis esse. Duobus enim locis invenitur *σπ. περὶ* c. accusativo et. gen. personae coniunctum: 10, 16 *σπουδάσας δὲ μάλιστα περί τε τὸν ἐξ Ἀλκμήνης καὶ τοὺς ἐκ Λήδας*; 12, 22 *εἰ φανείην σπουδάζων καὶ πολλοὺς λόγους ποιούμενος περὶ ἀνθρώπων*; 10, 29 *μή τισι δόξω περὶ τούτου* (i. e. *Θησέως*) *μᾶλλον σπουδάζειν ἢ περὶ ἧς τὴν ἀρχὴν ὑπεθέμην*. Neque possumus intellegere verba Blassii: „in dem Briefe konnte Isokrates weder *περὶ ὑμᾶς* noch *περὶ* (*ὑπὲρ*) *ὑμῶν* noch *ἐφ' ὑμῖν* sagen.“ Itaque constructio *σπ. πρός τινα* ab Isocrate est aliena.[1])

---

[1]) l. l. et in Quaestt. Isocr. p. 51.

[2]) l. l. III², 2, 381.

[1]) . . . *πολὺ καλλίους ἑτέρας ἂν εὗρον καὶ μᾶλλον λόγον ἐχούσας* (sc. *ὑποθέσεις*) . . . Muenscherus (Sat. Viadr. p. 45) cum offendit in dictione . . *μᾶλλον λόγον ἐχούσας* dicens: „ob Isokrates *ὑποθέσεις* . . . *ἐχούσας* im Sinne von ‚Gegenstände, die mehr Stoff zum Reden bieten‘, gesagt hätte, ist mir zweifelhaft; ähnliche Bedeutung hat *λόγος* 14, 33; aber *λόγον ἔχειν* ist wohl immer „Grund haben“, non habet nos plane assentientes. Exstat enim locus 11, 9: *δηλῶσαι περὶ τὴν αὐτὴν ὑπόθεσιν, καίπερ οὐ σπουδαίαν οὖσαν οὐδὲ σεμνοὺς λόγους ἔχουσαν,* quo loco

ἀλλὰ γὰρ οὔτε πρότερον οὐδὲ πώποτ' ἐφιλοτιμήθην ἐπὶ τούτοις .. οὔτε νῦν ... Haeremus in particulis *οὔτε πρότερον οὐδὲ πώποτε* — *οὔτε νῦν*. Ac primum quidem Isocrates duobus locis *οὔτε πρότερον οὔτε νῦν* adhibuit: 15,35 *ἀλλὰ γὰρ οὔτε πρότερον οὔτε νῦν οὐδείς μοι φανήσεται τοιοῦτον οὐδὲν ἐγκαλέσας*. 15,274 *ἡγοῦμαι δὲ τοιαύτην μὲν τέχνην .... οὔτε πρότερον οὔτε νῦν οὐδεμίαν εἶναι*. His duobus locis particulae illae uno continentur enuntiato nullis vocabulis a sese disiunctae. Deinde in epistula additur *οὐδὲ πώποτε*. Quae negatio, etsi nonnullis locis ut 18,27. 19,6. 4,122. 14,25. 6,15. 30. 8,112. 15,2 adhibetur, tamen nunquam cum *πρότερον* vel *οὔτε πρότερον* coniungitur. Uno, sed dubio loco, ep. VIII,1 legitur constructio simillima ep. VI,5: *οἷς οὐδὲ πώποτε πρότερον οὔτε διελέχθην οὔτε συνήθης ἐγενόμην*.

ἔχον ταύτην τὴν διάνοιαν ἐπραγματευσάμην. Verbum *πρ*. Isocrates absolute, ut ita dicam, non usurpavit, cf. 11,1. 15,83. 12,2. 249.

Par. 6: *ὑμᾶς μὲν ὁρῶν ἐν πολλοῖς καὶ μεγάλοις πράγμασιν ὄντας*. Dictio *ἐν πράγμασιν εἶναι* pro versari in negotiis vel difficultatibus apud Isocratem non occurrit. Hic habet 7,33 *πολλὰ πρ. σχόντες*, saepius *πρ. παρέχειν*, ut 10,1, alias.

ἡγοῦμαι δὲ συμβουλεύειν μὲν ἀκμὴν ἔχειν ... His in verbis Muenscherus l. l. recte haesit, cum dixit dictionem *ἀκμὴν ἔχειν* c. infinitivo non esse ex usu Isocratis. Dictio ipsa *ἀκμὴν ἔχειν* legitur apud eum, ut 5,10: *ἀνδρὸς ἀνθοῦσαν τὴν ἀκμὴν ἔχοντος*. Neque vero unquam infinitivus ab illo substanti vopendet. Loco autem, qui est 1,3 *σοὶ μὲν ἀκμὴ φιλοσοφεῖν*, nil probatur apud Isocratem infinitivum illi substantivo addi, praesertim cum or. 1 spuriam esse veri sit simillimum.

εἰ μὴ παντάπασιν ἐκλελυμένως διαλεχθείην περὶ αὐτῶν. *Ἐκλελυμένως* adverbium, ab Isocratis sermone alienum est et posterioris graecitatis videtur esse; legitur enim apud Plutarchum.

Par. 7: *μὴ θαυμάζετε δ' ἄν τι φαίνωμαι λέγων* .... Haec constructio verbi *θαυμάζειν* ab Isocratis usu differt. Si a verbo *θ*. enuntiatum pendet, incipit aut a particula *εἰ* ut 8,33, alias, aut *εἴτε* — *εἴτε* 12,235 aut *ὅταν* 13,12 aut *ὅτι* 6,1 aut *διότι* ut 5,1 aut *ὅπως* 3,3; nusquam incipit a particula *ἄν*. Altera quoque difficultas inest in dictione *μὴ θαυμάζετε δ' ἄν*. Ljungdahlius enim l. l. observavit negationem *μὴ* cum imperativo vel coniunctivo coniunctam nunquam excipi particula *δέ*; quae observatio vera est collatis locis in indicis p. 25 s. v. *μή* (I,3) et s. v. *μηδείς* (3 a) enumeratis.

λόγοι eodem sensu ac *λόγος* in epistula dicuntur. Neque merito Gratia (l. l. p. 52) adnotat: cum adverbium haud nomen, sed verbum temperet, dictio *μᾶλλον λ. ἐχ.* castigata non est. Qui, si recte verba eius intellegimus, pro *μᾶλλον* scribi velle videtur *μείζονα*. *μᾶλλον* autem non ad *λόγον*, sed ad *λ. ἔχειν* additur.

Reliqui epistularum loci cum usu Isocrateo congruunt ut I, 9. IV, 13. VII, 12. IX, 12. VIII, 10. Differunt autem duo epistularum loci: praeter hunc ep. VIII, 10, qui ita legitur: *μὴ θαυμάζετε δ' εἰ....* *.... εἰ πρέπον εἰς τὸν λόγον εἴη ...* Constructionem *πρ. εἴς τι* non esse ex usu Isocrateo iam Muenscherus l. l. monuit. Persona enim vel res, quam aliquid decet, ab Isocrate semper dativo additur, ut 18, 26. 10, 23. 66. 4, 71. 189. 2, 34. (1, 15. 44.) 6, 90. 15, 74. 77. 321. 3, 10. 5, 24. 79. 110. 12, 27. 117. 183. 266. (Epp. 2, 1. 6, 2. 5, 3. 8, 9.)

τὸ δὲ καὶ προειδὼς ... προςλάβοιμι. Verbum *προςλαμβάνειν* rarum est apud Isocratem; in orationibus genuinis recurrit 4, 94 proprio sensu: *εἰ τὸ τῆς πόλεως προσλάβοι ναυτικόν.* Translate, ut ita dicam, praeter hunc locum usurpatum exstat in Demoniceae par 18: *ἃ δὲ μὴ μεμάθηκας, προσλάμβανε ταῖς ἐπιστήμαις.*

... τὸ πρῶτον ἐπιφερόμενον ἓν τῶν τεθρυλημένων ἐστίν. Verbum *ἐπιφ.* hoc loco vi ab Isocratis sermone quodammodo aliena adhibitum legi Muenscherus l. l. recte statuit, cum dixit *ἐπιφ.* esse aut „vorwerfen“ ut 5, 76. 12, 99, ad quos locos accedunt 8, 101. 15, 237. 245. 12, 138, aut „heranbringen“ proprio sensu ut 9, 1. 14, 61 aut medium genus significare „folgen“ 15, 11. Hoc autem loco fere idem valet atque „id, quod primum occurrit“ (Preuß).

Formae generis passivi verbi *θρυλεῖν* in orationibus Isocratis non leguntur; activum genus exstat 4, 89. 12, 237.

Par. 8: *τί τῷ λόγῳ καὶ τοῖς τοῦ λόγου μέρεσι διαπρακτέον ἐστίν.* Verbi *διαπρ.* passivo genere Isocrates raro utitur (17, 21 *διεπέπρακτο* et 7, 63 *διαπέπρακται*). Neque coniungitur in orationibus verbum *δ.* cum dativo instrumentali qui dicitur, ut hoc loco et ep. II, 15: *διαπράττονται τοῖς λόγοις, ὅτι ἂν βουληθῶσιν.* Iniuria autem cum his locis Preussius in indice s. v. *διαπρ.* comparat 4, 59: *βίᾳ τῶν ἐχθρῶν ἅπανθ' ὅσων ἐδεήθη διαπραξάμενος ἀπῆλθεν.* Duobus locis Isocrates dixit *διαπρ. διὰ* c. g.: 9, 37. 15, 116. Praepositio *διὰ* c. acc. adiungitur illi verbo 15, 250.

... ἔστι δὲ τοῦτο στοιχεῖον καὶ κατὰ τῶν ἄλλων ἁπάντων καὶ κατὰ τῶν ὑμετέρων πραγμάτων. Illud *κατὰ* supervacaneum esse coll. loco 2, 16: *ταῦτα γὰρ στοιχεῖα πρῶτα καὶ μέγιστα χρηστῆς πολιτείας ἐστὶν* suo iure Muenscherus et Gratia monuerunt.

Par. 9: *... ὑμῶν αὐτῶν προστῆναι ...* Dictio *ὑμῶν αὐτῶν προστῆναι* iam a Muenschero castigata est.

ταῦτα δὲ διορισαμένους ... Verbum *διορίζεσθαι* in Isocratis orationibus cum praepositione *περὶ* c. gen. coniungitur: 3, 5 *περὶ ἑκάστου διορίζεσθαι.* 3, 14 *δικαιότατον δὲ τὸ διωρίσθαι περὶ τούτων ...*

Par. 10: *καὶ τοῦτον μὲν τὸν τρόπον ζητοῦντες καὶ φιλοσοφοῦντες ὥςπερ σκοποῦ κειμένου στοχάσεσθε τῇ ψυχῇ.* Verba *ζητεῖν καὶ φιλο-*

σοφεῖν apud Isocratem coniuncta non leguntur nisi hoc loco et ep. 7,3. Ille habet *σκοπεῖν καὶ φιλοσ.* 4, 6; *μελετᾶν κ. φ.* 8, 5; *φ. καὶ πράττειν* 15, 121; *φ. καὶ σκέπτεσθαι* 8, 116; *πονεῖν κ. φ.* 4, 186.[1])

Substantivum *σκοπός* in orationibus non occurrit.

καὶ μᾶλλον ἐπιτεύξεσθε τοῦ συμφέροντος: verbum *ἐπιτυγχάνειν* in orationibus genuinis uno loco 15, 271 . . . *ἐπιτυγχάνειν* . . . *τοῦ βελτίστου δυναμένους* invenitur; praeterea exstat in Demoniceae par. 14 *τούτου δ'ἂν ἐπιτύχοις* et ep. 4, 8 *καλοῦ πλοῦ πολλάκις ἐπιτυχεῖν ἐστιν.*

. . . *τὸ προςπῖπτον ἐπιχειρῆτε πράττειν.* Dictio *τὸ προσπῖπτον* Isocratem non sapit. Apud hunc enim aut neutrum pluralis substantiva vi legitur, ut 9, 43. 15, 131 aut participium attributiva vi 12, 30 *τοῖς πράγμασι* . . . *τοῖς προσπίπτουσι* . . . Uno loco cum verbo *τυγχάνειν* part. *προσπεσὸν* coniungitur: 15, 140 *ὡς ἂν ἕκαστον τύχῃ προσπεσόν.*

Par. 12: . . . *πολλὰ παραλογίζονται σφᾶς αὐτούς.* Verbum *παραλ.* Isocrates duobus locis absolute adhibuit: 15, 281. 12, 243. His locis verbum *π.* significare „fraudare“, in ep. „fallere“ Muenscherus l. l. observavit.

. . . *οἱ τοῖς αἰσχίστοις καὶ παρανομωτάτοις τῶν ἔργων ἐπιχειροῦντες.* Adiectivum[2]) *παράνομος* hoc loco de re usurpatur, cum in Isocratis orationibus de personis dicatur: 11, 42. 12, 135.

Par. 14: . . . *εἰ* . . . *ἀμελήσας τὸ ἐμαυτῷ συμφέρον ποιοίην* . . . Offendimus in hiatu, qui est inter *τὸ* et *ἐμαυτῷ.* De quo egerunt Benselerus[3]), Hauptius[4]), Blassius[5]), Muenscherus (l. l.). Neque potest tolli difficultas. In libro de hiatu conscripto Benselerus pro *τὸ ἐμαυτοῦ* scribi vult *τοὐμαυτοῦ*, sed hanc lectionem *ἐμαυτοῦ* non esse in codicibus manuscriptis testatur Blassius edit. p. LIII vol. II a. 1882. In editione Benselerus omisit illud *ἐμαυτῷ*, sed desideratur oppositum verbis quae pracedunt *ἐκείνων ἀμελήσας.*

---

[1]) cf. Schneider ad 4, 6 (Is. ausgew. Red. 1886, Vol. II; — Roschatt, Die synonym. Verbdgn. b. den attisch. Redn., Progr. Freising 1896, p. 26. — Hoess, l. l. p. 55.

[2]) Keilius l. l. p. 34 adn. 3 de adiectivis in epistulis solis adhibitis pauca adnotat. Ad adiectiva ibi allata: *ἀλόγιστος* ep. II, 9 (*ἀλογίστως* 2, 29. 8, 30. 52. 12, 15), *στρατιωτικός* ep. II, 9 (*στρατιωτικῶς* 7, 7. 5, 105. 12, 79) accedit adi. *φθονερός* ep. IV, 4, de quo v. supra p. 21. Ep. IV, 8 occurrit *ἀθυμότερος*, cuius adiectivi in orationibus legitur adverbium *ἀθύμως* 3, 58. 4, 44. 93. 18, 60; *ἀθυμοτέρως* invenitur 4, 116 Adiectivum *παράνομος* autem non est in numero illorum adiectivorum. Atque addit Keilius: permulta adv. in sermone Attico obvia sunt, quorum adiectivi optimis scriptores uti sunt veriti.

[3]) de hiatu, 1841, p. 58.

[4]) l. l. p. 12/13.

[5]) l. l. II, 143. III, 2, 376/7.

Neque scripserimus cum Hauptio *τοὐμαυτῷ*, quia, ut Blassius (l. l. III, 2, 377) recte monuit, articulus *τὸ* cum *ἐμαυτῷ* non tam arte cohaeret ut aliis locis, velut 6, 63 *τοὐναντίον* 10, 51 *τοὐκείνης*, 12, 232 *τοὐμαυτοῦ*, alias.

... *καὶ μὴ παντάπασιν ἔξω θεὶς ἐμαυτὸν καὶ τῶν ὠφελειῶν* ... Verba *ἔξω θεὶς ἐμαυτὸν* non Isocratem sapere Muenscherus recte monuit. De usu adverbii *ἔξω* accuratius egit Lutzius.[1]) Apud Isocratem coniungitur cum illo adverbio aut *φέρεσθαι* aut *εἶναι* aut *γίγνεσθαι* locis huius epistulae loco similibus, ut

10, 23 *αἰσθάνομαι δ' ἐμαυτὸν ἔξω φερόμενον τῶν καιρῶν*
12, 33 — — — — *τῆς συμμετρίας*
14, 41 *ἔξω γὰρ αὐτοῦ τῶν πραγμάτων γεγενημένου*
15, 262 *ἔξω παντάπασιν εἶναι τῶν ἀναγκαίων.*

Haec igitur sunt argumenta e sermone epistulae petita, quibus fidem eius vehementer infirmari persuasum habemus.

Ut autem transeamus ad ea, quae epistula continentur, auctor par. 7 se excusat prolaturum non prorsus nova, sed quae Iasonis filii iam antea audiverint. Huius autem paragraphi una sententia legitur 15. 74 et 5, 94. Quos duos locos, ut cum epistulae loco comparentur, afferre liceat.

15, 74 *ἐπεὶ μικροῦ γε μέρους τῶν πάλαι γεγραμμένων οὐκ ἂν ἀποσχοίμην, ἀλλ' εἴποιμ' ἂν εἴ τι μοι δόξειε πρέπον εἶναι τῷ παρόντι καιρῷ· καὶ γὰρ ἂν ἄτοπος εἴην, εἰ τοὺς ἄλλους ὁρῶν τοῖς ἐμοῖς χρωμένους ἐγὼ μόνος ἀπεχοίμην τῶν ὑπ' ἐμοῦ πρότερον εἰρημένων, ἄλλως τε καὶ νῦν, ὅτ' οὐ μόνον κτλ.*

5, 94: *μωρὸς ἂν ἦν, εἰ . . . ἔτι δ' εἰ τοὺς ἄλλους ὁρῶν τοῖς ἐμοῖς χρωμένους αὐτὸς μόνος ἀπειχόμην τῶν ὑπ' ἐμοῦ πρότερον εἰρημένων. τοῖς μὲν οὖν οἰκείοις τυχὸν ἂν χρησαίμην, ἣν σφόδρα κατεπείγῃ καὶ πρέπῃ, τῶν δ' ἀλλοτρίων οὐδὲν ἂν προσδεξαίμην ὥσπερ οὐδ' ἐν τῷ παρελθόντι χρόνῳ.*

ep. 6, 7: *μὴ θαυμάζετε δ' ἄν τι φαίνωμαι λέγων ὧν πρότερον ἀκηκόατε· τῷ μὲν γὰρ ἴσως ἄκων ἂν ἐντύχοιμι, τὸ δέ καὶ προειδὼς, εἰ πρέπον εἰς τὸν λόγον εἴη, προσλάβοιμι· καὶ γὰρ ἂν ἄτοπος εἴην, εἰ τοὺς ἄλλους ὁρῶν τοῖς ἐμοῖς χρωμένους αὐτὸς μόνος ἀπεχοίμην τῶν ὑπ' ἐμοῦ πρότερον εἰρημένων. τούτου δ' ἕνεκα ταῦτα προεῖπον, ὅτι κτλ.*

Ac primum quidem in orationibus res multo aliter est comparata atque in epistula. Ibi suo iure Isocrates se excusat, totae enim partes orationum vel multae res ab eo antea, inprimis in Panegyrico, quem ipse commemorat, ut 5, 84, tractatae iterantur,

---

[1]) Lutz, Die Casusadv. bei den attisch. Rednern. Progr. d. K. N. Gymn. zu Würzburg 91 p. 19/21.

hic autem auctor expressis verbis dicit se hac excusatione usum esse, quia primo loco allaturus esset *ἓν τῶν τεθρυλημένων. εἴθισμαι γὰρ λέγειν πρὸς τοὺς κτλ.* Haec autem doctrina de orationis eiusque partium consilio nullo loco Isocrateo legitur, ne illa quidem in oratione contra sophistas inscripta, cuius in paragraphis inde a 16 de delectu et dispositione idearum verba fiunt. Itaque verus Isocrates hoc epistulae loco non potuit uti illa excusatione. Multo autem melius haec excusatio paulo infra par. 11 legeretur.

Praeterea tota indole valde suspiciosa est. Enuntiatum enim, quod praecedit: *τῷ μὲν γὰρ ἴσως ἄκων ἂν ἐντύχοιμι, τὸ δὲ καὶ προειδώς, εἰ πρέπον εἰς τὸν λόγον εἴη, προςλάβοιμι,* plane supervacaneum est, neque quicquam desideraretur, si verba *καὶ γὰρ ἂν ἄτοπος εἴην* exciperent verba *ὧν πρότερον ἀκηκόατε.* Atque hoc ipsum enuntiatum, quod in epistula excusationem ipsam praecedit, nonnulla non Isocratea prae se fert. Ac primum quidem post pluralem *ὧν πρ. ἀκηκόατε* exspectamus pluralem pro singulari *τῷ μὲν* ... et *τὸ δὲ καὶ προειδώς.* Praeterea adiectiva *ἄκων* et *προειδὼς* non bene inter sese opponuntur. Pro *ἄκων* voce exspectamus fortasse *ἀγνοῶν* vel *οὐκ εἰδώς,* praesertim cum in orationibus *ἄκων* vox nunquam „unabsichtlich" significet, velut 10, 36 . . . *ἀκόντων τι ποιεῖν τῶν πολιτῶν.* 4, 122 *τοῖς δὲ βαρβάροις αὐτοὺς ἐξέδοσαν, ὧν ἀκόντων τὴν χώραν ἔχουσι.* 15, 307 . . . *τὸ τεῖχος ἀκόντων Λακεδαιμονίων τῇ πόλει περιβαλών* ... Quae vis „unabsichtlich" hoc loco illa voce *προειδὼς* opposita requiritur. Verus autem Isocrates multo melius discrimen fecit 5, 94 inter *τὰ οἰκεῖα* et *τὰ ἀλλότρια.* Atque ex hoc loco auctor epistulae illam vocem adsciscendi hausit, neque vero scripsit *προςδεξαίμην,* sed, ut furtum occultaret, *προςλάβοιμι.* Quamquam illud verbum saepius apud Isocratem occurrit, hoc autem loco quantopere ab illius usu differat, iam supra expositum est p. 47. Deinde usus particularum *ἄν*, qualis hoc in enuntiato exstat, non est ex consuetudine sermonis Isocratei. Habemus enim duo enuntiata condicionalia forma potentiali: . . . *ἄκων ἂν ἐντύχοιμι, τὸ δὲ καὶ προειδώς, εἰ—εἴη, προςλάβοιμι.* Quorum in posteriore deest particula *ἄν*, quae locis similibus ab Is. repetitur velut illo ipso loco 15, 74: *οὐκ ἂν ἀποσχοίμην, ἀλλ' εἴποιμ' ἄν, εἰ... δόξειε* ... 15, 192. 8, 49. 80. 12, 3 alias. Denique hoc loco illa constructio *πρέπον εἰς τὸν λόγον* iam supra p. 47 castigata in censum venit. Itaque, ut comprehendamus, is, qui hanc excusationem conscripsit, eam ex orationibus 5 et 15 sumpsit et, ut speciem quandam novitatis praeberet, illo enuntiato amplificavit.

Neque, ut transeamus ad ea, quae par. 8 continentur, facimus cum Blassio, qui cum aliis rebus tum hac ipsa doctrina rhetorica commotus epistulam genuinam esse iudicat, cum dicit (l. l. III

2, 380): „Wir verlören mit diesem Briefe eine der wichtigsten Stellen über Isokrates' Lehrmethode.“ Quod non licet ei concedere: nam, si minus verba ipsa sunt Isocratea, attamen doctrina illa potest esse Isocratea. Quid enim impedit, quin cum Muenschero (l. l. p. 47) epistulam ab aliquo, qui illius scholis interfuerit, eiusque dictionis et doctrinae haud mediocriter peritus fuerit, compositam esse censeamus? Hoc autem loco epistulae auctori ante oculos versatam esse par. 16 orationis 13 Muenscherus recte vidit. Atque cum hos duos locos inter sese comparabis, in oratione facile verum rhetorem cognosces, nam illa verba *προελέσθαι* et *μῖξαι* et *τάξαι κατὰ τρόπον* sine dubio ad ea, quae a rhetoribus *εὕρεσις* et *κρίσις* et *οἰκονομία* dicuntur, spectant (cf. Blassium l. l. II², 110). Verba autem epistulae *δι᾽ ὧν* usque ad *ὑπεθέμεθα* nimis in universum dicta esse nobis videntur. Praeterea displicet pronomen *ταῦτα* post singularem *τοῦτο* pluries repetitum. Ac verbum *προελέσθαι*, quod 13, 16 legitur, paulo infra par. 9 occurrit: *τίνα βίον προελέσθαι.*

Paragraphos autem 9—12 ex orationibus, inprimis 2 et 10, fluxisse persuasum habemus. Atque quo melius inter sese comparari possint, locos, qui in censum veniunt, exscribere nobis liceat.

2, 4: *πεποιήκασιν ὥςτε πολλοὺς ἀμφισβητεῖν, πότερόν ἐστιν ἄξιον ἑλέσθαι τὸν βίον τὸν τῶν ἰδιωτευόντων μὲν, ἐπιεικῶς δὲ πραττόντων, ἢ τὸν τῶν τυραννευόντων.*

2, 5: *ὅταν μὲν γὰρ ἀποβλέψωσιν εἰς τὰς τιμὰς καὶ τοὺς πλούτους καὶ τὰς δυναστείας, ἰσοθέους ἅπαντες νομίζουσι τοὺς ἐν ταῖς μοναρχίαις ὄντας · ἐπειδὰν δ᾽ ἐνθυμηθῶσι τοὺς φόβους καὶ τοὺς κινδύνους . . τοῖς δ᾽ ἀμφότερα ταῦτα συμβεβηκότα, πάλιν . . ἢ μετὰ τοιούτων συμφορῶν . . . βασιλεύειν.*

2, 30: *νόμιζε τῶν τιμῶν ἀληθεστάτας εἶναι μὴ τὰς ἐν τῷ φανερῷ μετὰ δέους γιγνομένας, ἀλλ᾽ ὅταν αὐτοὶ παρ᾽ αὑτοῖς ὄντες μᾶλλόν σου τὴν γνώμην ἢ τὴν τύχην θαυμάζωσιν.*

10, 35: *εἰδὼς δὲ τὰς τιμὰς ἡδίους οὔσας τὰς παρὰ τῶν μέγα φρονούντων ἢ τὰς παρὰ τῶν δουλευόντων.*

10, 36: *τοσούτου δ᾽ ἐδέησεν ἀκόντων τι ποιεῖν τῶν πολιτῶν.*

ep. 6, 9: . . . *ποτέρας τῶν τιμῶν ἀγαπῆσαι, τὰς παρ᾽ ἑκόντων γιγνομένας ἢ τὰς παρ᾽ ἀκόντων τῶν πολιτῶν.*

ep. 6, 11: *ἐμοὶ γὰρ αἱρετώτερος ὁ βίος εἶναι δοκεῖ καὶ βελτίων ὁ τῶν ἰδιωτευόντων ἢ τῶν τυραννούντων καὶ τὰς τιμὰς ἡδίους ἡγοῦμαι τὰς ἐν ταῖς πολιτείαις ἢ τὰς ἐν ταῖς μοναρχίαις . . . . τὰς μὲν γὰρ ἐξουσίας καὶ τὰ κέρδη καὶ τὰς ἡδονὰς ὁρῶσι καὶ τούτων ἀπολαύσεσθαι προσδοκῶσι, τὰς δὲ ταραχὰς καὶ τοὺς φόβους καὶ τὰς συμφορὰς τὰς τοῖς ἄρχουσι συμπιπτούσας κ. τοῖς φίλοις αὐτῶν οὐ θεωροῦσιν κτλ.*

In or. 2,4 Isocrates de tyrannis eorumque potentia verba facit. Cum alia tum hoc exponit multos homines, quia haud pauci tyranni potentia male usi sint, dubitare, utrum praeferenda sit vita tyrannorum an privatorum; addit autem aliquid, quod in epistula deest summique momenti est: *τῶν ἰδιωτευόντων μὲν, ἐπιεικῶς δὲ πραττόντων*. Illa autem verba *ἐπιεικῶς δὲ πραττόντων* hoc loco eo magis requiri nobis videntur, quia initio huius paragraphi dicitur de eis, qui temere vivunt (*τὶς τῶν εἰκῇ ζῆν προῃρημένων*). Praeterea singularis est coniunctio synonymorum *αἱρετώτερος* et *βελτίων*.

In verbis quae sequuntur ep. 6, 11: *τὰς τιμὰς ἡδίους ἡγοῦμαι τὰς ἐν ταῖς πολιτείαις ἢ τὰς ἐν ταῖς μοναρχίαις*, quibuscum conferenda sunt verba par. 9: *ποτέρας τῶν τιμῶν ἀγαπῆσαι, τὰς παρ᾽ ἑκόντων γιγνομένας ἢ τὰς παρ᾽ ἀκόντων τῶν πολιτῶν*, auctori epistulae ante oculos versati sunt loci 2, 30 et 10, 35/6. Quibus in orationibus verba multo magis perspicua et magis rhetore illo digna sunt quam in epistula, cuius auctor nimis in universum et sine colore, ut ita dicam, verba facit.[1])

Denique liceat afferre ad ep. 6, 12 duos locos, quos una cum 2, 5 auctor epistulae imitatus esse videtur. Sunt autem 2, 35: *θεώρει τὰ γιγνόμενα καὶ τὰ συμπίπτοντα καὶ τοῖς ἰδιώταις καὶ τοῖς τυράννοις* et 10, 36: *οὐ γὰρ ὥσπερ ἕτεροι τοὺς μὲν πόνους ἄλλοις προςέταττε, τῶν δ᾽ ἡδονῶν αὐτὸς μόνος ἀπέλαυεν, ἀλλὰ τοὺς μὲν κινδύνους ἰδίους ἐποιεῖτο, τὰς δ᾽ ὠφελείας ἅπασιν εἰς τὸ κοινὸν ἀπεδίδου.* His quoque locis artifex ille facile cognoscitur. Qui commoda et incommoda tyrannidis non solum enumerat, ut epistulae auctor, sed amplificat et exornat has enumerationes enuntiatis artificiose compositis. Praeterea eis quoque vocibus, quibus utroque loco commoda et incommoda tyrannidis significantur, auctores quodammodo inter sese differunt. In epistula legitur vox *ἐξουσίαι*, pro qua 2, 5 et 2, 8 adhibetur vox *δυναστεῖαι*. Ac pro *τοὺς πλούτους* (2, 5) vel pro *τὰς ὠφελείας* (10, 36) auctor epistulae usurpavit vocem *τὰ κέρδη*. Cuius vocabuli pluralis praeter 14, 24 in orationibus genuinis non occurrit; legitur autem 1, 21. Plurales vocum *πλοῦτος* et *ὠφέλεια* saepius inveniuntur, ut *πλ.* 7, 4: *τοῖς μὲν πλούτοις καὶ ταῖς δυναστείαις.* 4, 51 *τὰ μὲν σώματα διὰ τοὺς πλούτους τρυφῶντες, τὰς δὲ ψυχὰς διὰ τὰς μοναρχίας ταπεινὰς καὶ περιδεεῖς ἔχοντας.* 4, 182. 8, 7. 117. 12, 196. et *ὠφ.* ut 11, 3. 22. 10, 36. 67. 7, 55. 4, 15. 29. 173 (oppo-

---

[1]) Muensch. cum dicit l. l. p. 46: niemals hätte Isokrates *πολ.* und *μον.* als Gegensätze gebraucht, wie hier § 11 (auch die *μ.* ist ihm e. *πολιτεία*, coll. ll. 12, 132. 2, 16, non habet nos assentientes coll. 4, 125: *ταῖς μὲν πολιτείαις πολεμοῦσι, τὰς δὲ μοναρχίας συγκαθιστᾶσιν.*

nuntur inter se *κίνδυνοι* et *ὠφέλειαι* ut in exitu par. 13 huius epistulae). 15, 145. 164. 202. 5, 40. 131.

Itaque rectissime nuper H. Gomperzius[1]) de toto argumento huius epistulae iudicavit, cum dixit: .... „So besteht gleich der wesentliche Inhalt unseres Briefes in der weiteren Ausführung zweier Gedanken, die uns schon von früher her bekannt sind: der eine ist das Prinzip des *ὁμολογουμένως ζῆν*, das uns schon 9, 44 begegnete. Dieses führt Isokrates hier philosophisch näher aus (9—11). Der andere ist der Vorzug des Privatlebens vor der Tyrannis, der schon 10, 32 ff. mit kynischen Argumenten auseinandergesetzt ward und hier mit etwas blässeren Farben geschildert wird (11—13). Sonst bietet das kurze Schreiben nichts von Belang."

Sed haec hactenus. Satis multa argumenta, quibus epistulam VI non ab Isocrate esse compositam demonstratur, attulisse nobis videmur.

Haec habebamus, quae de epistulis Isocrateis proferremus. Qua dissertatione nos aliquid contulisse ad diiudicandam quaestionem, quae est de authentia epistularum Isocratearum, inprimis III, IV, VI, IX, speramus atque confidimus.

---

[1]) Isokrates und die Sokratik, Wiener Studien 1906 S. 198 ff. Errat autem hic vir doctissimus eo, quod hanc epistulam genuinam esse censet.

Tabula argumenti.

Typis expressit Robertus Noske Bornensis.

Vita.

Heinrich Oswald Curt Woyte natus sum in oppido Glauchau die XIV mensis Novembris anni 1879 patre Oswald, matre Agnes e gente Hoffmann, quos ambos vivere laetor. Fidei addictus sum evangelicae. Lipsiae, quo parentes paulo post migraverunt, primis litterarum elementis imbutus adii anno 1890 gymnasium regium Lipsiense, quod tum Richard Richter rectore florebat. Cui viro doctissimo et humanissimo quid debeam, nunquam obliviscar. Vere anni 1899 testimonio maturitatis instructus Lipsiae philologiae studiis incumbere coepi. Docuerunt me viri doctissimi: Berger (†), Biedermann (†), Birch Hirschfeld, Duchesne, Gardthausen, Gregory, Heinze, Hofmann, Holz, Immisch, Jungmann, Koester, Lamprecht, Lipsius, Martini, Marx, Richard Richter (†), Studniczka, Volkelt, Wachsmuth (†), Weule, Wundt.

Proseminarii philologi per ter sex menses sodalis fui; seminarium philologum regium, cuius aditum Lipsius, Marx, Wachsmuth benignissime mihi patefecerunt, per ter sex menses sodalis ordinarius frequentavi. Societatis antiquariae Lipsianae per semestre spatium sodalis fui. Exercitationibus, quas Birch Hirschfeld et Duchesne in seminario Francogallico instituerunt, per sex menses interfui. Per quinque semestria senior fui seminarii paedagogici auspiciis vv. dd. Richter (†) et Jungmann. Quibus viris omnibus optime de me meritis maximam gratiam habeo semperque habebo. Quantas autem gratias debeam cum Jungmanno et Immischio tum Lipsio, qui hac quoque in dissertatione conscribenda benignissime me adiuvit, verbis dicere vix possum.

Mense Januario anni 1903 examine pro facultate docendi superato inde a mense Aprili eius anni fungor munere magistri in Schola Nicolaitana Lipsiensi, quae Kaemmel rectore floret.

dis [illegible]
p gente [illegible]
evangelica
litterarum [illegible]
Lipsiens [illegible]
doctissim [illegible]
Vestr [illegible]
logiae [illegible]
Bengel [illegible]
Gregory, [illegible]
Lommatzsch [illegible]
Volkelt [illegible]